



JTINERARIUM
R. D.
THOMÆ CARVE
TRIPPERARIENSIS.



ITINERARIVM
R. D.
THOMÆ CARVE
TRIPPERARIENSIS,

Sacellani maioris

In fortißimâ iuxta & Nobilissima
Legione

Strenuissimi Domini Colonelli

D. WALTERI DEVEROUX

ſub

SAC. CÆSAR. MAIESTATE

ſtipendia merentis

cum

Hiſtoriâ facti Butleri, Gordon, Lesly & aliorum

Opera ſtudio
Et
Impenſis Authoris
MOGVNTIÆ,
Imprimebat NICOLAUS HEYLL,

Anno Chriſti, 1639.



Illustrissimo Domino
Domino

IACOBO BVTLERO
COMITI ORMONIÆ
& Ossoriæ, Vice-Comiti de Turlo,
Baroni de Arcloë, &c.

THOMAS CARVE.

Felicem in rebus omnibus progressum & prosperitatem, ex totis animi Præcordijs precatur.



Ommentariolum de rebus in Germania, per proximum retro decennium gestis, quē

 inter

inter faſtidioſas viarum moleſtias, infeſtumque Literis, ac lucubrationi ſeriæ inimicum armorum ſtrepitum, ſubciſiuis horis compilavi, Tuis manibus, Comes Illuſtriſſime, quam poſſum demiſſe ingero, atque ad Tholum humanitatis Tuæ, ſervorum tuorum poſtremus lubens volens appendo, orbi teſtem vniverſo & propenſiſſimæ meæ in te tuoſque voluntatis, nullis alijs ante hac teſtatæ monumentis, & Tuæ ſingularis in me nunquam ſatis deprædicandæ benevolentiæ Mnemoſynon.

Non indignaberis a. (quod tua mihi prudentia pollicetur) quod inter tam multos Illuſtriſſimę Dominationi Tuæ pacificos annos blandiſſi-

blandiſſimis formulis exoptantes, ego vnus quaſi extremæ inurbanitatis homulus, immemor cõmunis ritus, & conſuetæ humanitatis deſertor in altiſſimâ quiete pacis, à Marte Donarium apparem. Apage, forte Dices, peſſimi ominis, & contra Læta auſpicia inquietum Commentarium, ſed nec Itinerariũ Perilluſtri Nomini noſtro obtrudi ſinam, qui cum ſubdito mihi populo quietos exigere annos in ſumma tranquillitate mavelim, quam multis itinerum moleſtijs defatigari.

Sed vt dicam quod res eſt, non abeo à cæterorum pacificam fauſtitatem voventium conſuetudine multo ab hinc tempore prolatâ, verum quod vulgus Comitis

ſui promerendi gratia, ego idem Maiori affectu licet tectiori ſermone, plenâ manu repræſento. Offero quidem de bello & cum bello commentariolum, ſed in eo non domeſticum ſed bellum externum concludo, cõcludo in quam bellum ſed belliſſimum, quippe quod dum alibi immaniter ſævijt, domi induxit tranquilliſſimam pacis ſerenitatem. Et ſane niſi eiuſmodi ad Te mitterem bellum, pacem Tibi gratulari neutiquam poſſem. Totus itaque Libellus iſte quantus, quantus Tibi Comitum humaniſſimo dicatus meriſſima eſt pacis congratulatio.

Quod verò ad te potius quam ad quemvis alium ſuo impetu noſter feratur calamus, non id quidem

dem temerè evenit. Complexus est enim ipse heroica Tuorum facta, quæ ad tuam quoque Totiusq; Perillustris stemmatis laudem spectant, portat Nobilissimos Maiores & Consanguineos tuos Butleros, qui vt in Patriâ semper fuerunt summi nominis, ita apud exteros ob egregiam virtutem præcipuæ auctoritatis. Age, vade, si Lubet, in extremam vsque Germaniam, Poloniam, Lituaniam, Hungariam, Bohemiam penetra si vacat, & audi, si non Butlerorum tuorum fama Imperatori Romano alijsque Regibus æquè fida, quam nobilissimæ prosapiæ tuæ gloriosa vbique celebretur? Vtinam (cum intimo id affectus mei sensu ingenuè

nuè proloquor) vtinam, inquam, manes Iacobi Tui, cui annis plusculos individuus fui Comes, in vitale corpus remigrare possent, & se tibi in armis præsentare, videres vtique virum inter arma potius ad amicam pacem, quàm hostilia bella propensum, spectares virum in armis fortem, omni bellico apparatu nil potius spectantem, quam vt Imperio Romano pristinam restitueret pro virili sua, tranquillitatem.

Hunc igitur & plures ipsius similes, dum tibi in paucularum pagellarum angustijs circumscriptam exhibeo maiestatem, ne putes, Generose Comes, me Belli Duces ad turbandam in tuis

terris

terris pacem in Ormoniam inducere, adduco Equidem, nec enim inficias ire possum armatos Heroës, sed confectis prope bellis pacificos, qui arma quidem portant, domi defensiva foris ostensivâ. Verbo. Volunt ipsi se sistere amplissimo conspectui tuo, vt videas tuam gentem tam esse amplam, vt se intra Patriæ terminos continere haud queat, sed Augustiores in alienis terris non sine immortali familiæ gloria & quærere debuisse & obtinere potuisse habitationes.

Dabit quoque itinerarium hoc nostrum soboli tuæ, si quam tibi hominum sator DEUS concessit, aut porro concessurus est, stimu-

ſtimulos nomen ſuum, ad imitationem Maiorum ſuorum amplificandi, & genus ad vltimas vſque terras dilatandi, dum videbunt Avos, Proavoſque ſuos ſolo nixos DEO, relictâ Patriâ externorum Principum, Regum ac Imperatorum fide & Conſtantiâ ſuâ obtinuiſſe favores, tituloſque Perilluſtri proſapiæ ſuæ nuſquam pudendos.

Vellem hoc loco, niſi Laconicâ vti cuperem brevitate, nec tibi vllam legendo nauſeam creare, ſyllabum pertexere eorum, qui ſi in Patriâ hæſiſſent, obſcurum & ignobile exegiſſent, ævum, dum vero in eas partes vbi animos ſuos exerere, vireſque ac fortitudinem oſtentare poterant

rant egressi sunt, toti mundo inclaruerunt. Tu animo ipse percurre (Liberæ enim sunt Cogitationes) non tantum grandia tuæ familiæ decora, sed & alia belli Germanici fulmina, qui sane in omni suo splendore ignobiles fuissent, nisi in Imperium Romanum extendendi nominis causa profecti essent.

Videbis, Perillustris Comes, videbis, inquam, Tu ipse diem illum quo se Patriotæ tui, sed & amicitia imo sanguine iuncti Patriæ præsentabunt æque gloria quam opibus conspicuos, & Conterraneis testatum facient, quid ei præstare voluissent, qui pro exteris Principibus sanguinem & vitam exposuerint,


Quamque parati etiamnum ſint pro tranquillitate Patriæ ad extremam vſque ſanguinis guttam belligerare, qui pro natione ignotâ pacificanda tam nobilia ſtatuerunt ſibi toti familiæ, omnique Patriæ ſuæ trophæa.

Ita igitur eſt, Comes Illuſtriſſime, ſi verè loqui volumus, hic commentariolus meus pacis potius quam belli eſt prodromus, quem tibi ego clientum tuorum poſtremus toto cordis affectu do, dico conſecroque: Quod ſi in eo parum concinna videantur omnia, ſcias ea non domi in muſcolo, ſed belli ſub tentorijs, vbi rauca tuba ſolenne ſuum taradandara inſonat, vbi tympana bellum perſtrepentia negotioſum

tiosum calamum infestant, vbi sæva tormentorum bellicorum tonitrua horrendum immugiunt, vbi fatalis plumbeorum globulorum grando chartam circumvolat & cum affectu scribendi vitam prope excutiunt, esse fusa. Dabuntur quandoque quietiora tempora, quando pro facultate & otio longiore & concinniore serie minutatim calamo complectar omnia enucleatius, quæ vel ipse oculis inspexi vel aliorum fide digna narratione accepi. Hæc nunc breviuscula qualia qualia, optimo sane affectu tibi inscripta, æqui bonique consulas, & me tibi Devotissimum Tuo favore complectere. Da-

bam Fridbergæ in Wetteraviâ Calendis Maij Anno immortalitatis ſtabilitæ. M. DC. XXXIX.

LECTO-



LECTORI BENEVOLO & Pio Pacem & ſalutem in Domino.



Vid enim malevolo & ſtudiis noſtris contrario optem pacem? cum ſacro eloquio atteſtante impiis nulla ſit pax. Illi igitur qui meam inſectabitur ſcribendi Methodum & rationem, non voveo aliud, niſi quas ipſe iam animo fovet turbas & inquietudinem. Scripſerunt ait ïam plures alij de bello, opera illa ſumptuſque rectius in alios impenderentur vſus. Tibi quidem in quem voles laborum tuam impendere operam integrum ſit, mihi honeſtus iſte videtur labor, qui non de

poliendis armis quæ nulla gero nisi spiritualia, non de vxore, quam mihi vltroneá Lege interdictam volui, comendâ, non de calicibus supra debitum exsiccandis quod honestatem dedecet, Sacerdotiumque meum dedecorat, debeo esse sollicitus. De sumptu ne Labores, cum ille non tuo impendio, sed bonorum & benevolorum virorum gratia suggeratur. Absoluam omnia paucis, ita mihi lubebat & volupe erat, hanc pecuniolam quæ breuis admodum fuit, non in alium quam huuc vsum collocare. Quod vero multi alij de bellis variis scripserint historias, id quidem non sum nescius, sed & illud certo scio, nullum huc vsque meum iter, quod hoc Commentariolo complexus sum, scripsisse. Dein, scripserint alij, & ego scribam, Te quantumvis, ô Zoile, con-

lè, contradicente: Quod si Libellum meum legere nolis, abjcias licet; non ideo totus quantus pessum ibit, erunt qui eum mihi honorem facient, vt legant & probent. Sed, inscripsi Viro à nostris castris alieno & externo? Rectè. quid vero hoc tua interest, & cui alteri, quam viro in paucis humano, humanitatem hanc deferam, cui Butleriana facinora, quàm Butlero, qui in partem & amicitiæ & sanguinis & laudis venit, inscribam? cui bellorum externorum successus explicem nisi qui eos coram non spectarit? forte volebas eum tibi dedicari: sed nondum de me id quidem es meritus. vbi de mirabilibus & à communi tuoque sensu remotis rebus scripsero, tunc quidem istum expectare possis honorem, cum quid scripsero quod tibi non desipiet,

 tunc

tunc tibi oggere: integrum erit. Odi si scire vis tam delicatos alieni nominis observatores, odi Catonianum supercilium moroso omnia notans asterisco. Odi Aristarchos illos perpetim in aliorum facta Lynces, in sua talpas.

Te vero, Benevole Lector, pauca volo, te enixè postulo, vt hunc meum Laborem facili admittas oculo, si quæ exilia sunt quæ scripsi, ne illa contemnenda putes, magna omnes notant minuta omnes prætereunt, ita fit, vt illorum sæpe nulla posteritati relinquatur memoria, omnia igitur, magna & parva, gravioris leuiorisque momenti in codiculum meum referenda putaui, quæ quidem vel ipse coram vidi, vel à videntibus & præsentibus audiui.

Quod si fortè tibi displiceat stylus noster

noster, noueris illum adoleuiſſe in campis, quid mirum ſi ſe comere non potuerit? Educatum eſſe inter milites, nil novum ſi rudiorem didicerit aſperitatem: formatum eſſe ad æenearum fiſtularum fragores, veniam itaque ſpirat, ſi hinc inde tumultuetur.


Si porro petas, quis mihi iſtud ſcribendi inſtitutum iniecerit, dicam, & rem ipſam ſincere ediſſeram. Luxerunt omni ætate varii varios morte ſublatos, Nuper Eccleſia Gregorium XIII. Pontificem Maximum: Imperium Ferdinandum II. Cæſarem ſemper Auguſtum: Hiſpania Philippum III. Regem Catholicum: Gallia Ioſephum CapuZinum Conſiliarium Monachum; Exercitus Catholicus Pappenheimium & Tyllium noſtræ militiæ Columnas & huius æui Scipiones;

 Exercitus

Exercitus aduersarius Gustavum Adolphum Suecorum Regem me iam etiam aliorum dolore tristem, domesticum quoque funus optimi Butleri mei tangebat plurimum, quocum dulcissimos dies, eosque plusculos in omni confidentiâ exegeram, à quo suavissime semper tanquam Frater habitus, cultus vt Pater fueram; cuius tantæ benevolentiæ cum par esse non possem, nollem tamen ingratus mori, hoc tandem succurrit animo, vt præclara eius facta mundo vulgata inter homines Libello, aperirem. Videram quanta cum inuidià multas sæpe expeditiones optimis auspiciis susceperat, videbam eius nomen ipso adhuc viuente iniquè traductum post mortem primum effulgere clarius: videbam verò etiam aliorum doctus exemplo, quam literis, maximè

ximè inter milites mortuorum ſit recordatio. Hac omnia vt in Butlero meo virorum omnium amantiſſimo cauerem, Hiſtoriolam ſeu Itinerarium potius hoc ſcribendum ſuſtepi, vt dum de multis, quæ mihi memoranda contigerunt, ſcriberem etiam Butleri mei recordarer, ac amorem meum quantulocunq; hoc opuſculo ſaltem publico affectus monumento teſtatum relinquerem. Voluiſſem quidem omnia eius & Butlerorum aliorum facta vno ſolo ad id ſuſcepto Libello complexus eſſe, ſed cum inter bellicos tumultus id fieri difficulter poſſit, & id tranquillius otium requirat, cogitationem illam in commodiora tempora depoſui. Sufficiat nunc in decurſu itineris mei obiter tantum & per tranſennam velut


aliud agens de ipso fecisse mentionem. Tu vero Ingenue Lector Fruere Labore meo quem tibi ex animo dedico, & bene piis Butleri Manibus precare. Nil vltra te retineo. Vale.



INDICVLVS,

In omnia Capita Itinerarij huius.

Cenſu-




Censura & Approbatio.

EGo infra scriptus auctoritate mihi à Reverendißimo Domino summæ sedis Nuncio Apostolico consignatâ & Imperiali diplomate confirmatâ, testor me hunc Librum inscriptum Itinerarium Reverendi Domini Thomæ Carve Tripperariensis legisse nec quidquam Religioni orthodoxæ aut bonis moribus adversans reperisse, imo multa bona documenta, verasque ab oculato teste scriptas Historias invenisse; Quare eadem auctoritate vbivis locorum eundem Librum Typis vulgari & ab omnibus Historiæ & veritatis amantibus legi posse existimo & permitto. Franc. prid. Cal. Maij Anno Christi M. DC. XXXIX.

ALOYSIVS MAR:
L. C. A.

CAPVT.



CAPUT I.

Ingressus in historiam, & series primorum è Germanis Imperatorum.

A Primo mundi exordio, omnis terræ ambitus, hodie tot bellorum mortisque cladibus exercitus, in quatuor partes distterminatus est; In Asiam à filiâ Oceani & Thesbidis sic dictam (quamvis alij Filiam Manaæ Lydorum Regi prognatam volunt) quæ ab Europà Oceano Maiorico, & parte Mediterranei maris separatur: ab Africâ verò Nilo fluvio seu mari rubro discernitur; occupat in longitudinem quinque millia ducenta milliaria, in latitudinem quatuor millia quingenta sexaginta. In Africam; quæ in Longum quadringentis centum quinquaginta quinque, in Latum mille nongentis viginti milliaribus protenditur. In Americam, ab Americo vespu-tio pri-

tio primo eius Inventore ſic appellatam, cuius Longitudo & Latitudo omnibus orbis partibus maior, nec hodie quidem tanta quanta innotuit. Et Europam denique ab Agenoris Phœnicis filia ſic vocitatam, à Tauro viro militari inuentam olim, probabilis Hiſtoriæ fert fides, diſterminatur hæc ab Aſià & Africà mari mediterraneo; in Longum duobus millibus octingentis, in Latum mille ducentis milliaribus protenditur. De hac nobis ſermo potiſſimus ſuſcipitur, quam multis viarum moleſtijs fracti bonam partem emenſi ſumus, Sectantes militiam, pro Libertate Germaniæ & Cæſare; viro in paucis prudente & ſtrenuo fortunas, vitam & ſanguinem paciſcentes.

Dictam porro Europam à caſcâ gentilitate Imperatorum ſceptris moderatam, non niſi vetuſtatis ignari neſciunt; Quomodo vero viciſſitudine rerũ hæc poteſtas à gentilitate ad Chriſtianos Reges ac Principes translata ſit, hiſtorijs

prolixio-

prolixioribus exequendum relinquo. Ego ab Henrico Aucupe primo ex Germanis Imperatore duco initia, continuam ſeriem vſque ad modernum Imperatorem Ferdinandum eius nominis III. Semper Auguſtum protrahens. Erat hic Henricus ex Sereniſſimâ Ducum Saxoniæ domo, adijtque Imperium Anno per Chriſtum reſtauratæ Salutis Nongenteſimo Vigeſimo; cui ſucceſſit Otto Magnus Aucupis Filius imperavitque ab Anno Chriſti Nongenteſimo Triceſimo Tertio. Fundavit hic Otto ſeu complevit potius iam ante à pio Parente ſuo ceptas Eccleſias Brandenburgenſem & Mörsburgenſem, erexitq; ipſe inſuper à fundamentis non degener optimi Patris ſoboles Havelburgenſem, Miſnenſem & Magdeburgenſem. Hic ipſus quoque Ludovicum Gallorum Regem à ſuis ſubditis iniquiſſimè regno pulſum, in eius ſolium reſtituit; veruſque Auguſtus Burgundia & Belgio Imperium auxit. Anno
poſt

post natum Christum Nongentesimo quadragesimo sexto hoc Imperatore è vivis sublato moles Imperij ad Ottonem II. devoluta est, qui renuit sceptrum vsque ad annum Christianum nongentesimum septuagesimum quartum, sibique successorem reliquit Filium Ottonem III. qui ius eligendi Romani Imperatoris penes Germanos esse voluit. Anno millesimo secundo Imperium gubernare cepit Henricus II. & post hunc Conradus II. Romæ est coronatus Anno millesimo vicesimo septimo, qui Arelatense regnum mortuo Rudolpho eius Rege, & pulso Ottone sororis eius filio Germano Imperio adiecit Anno reparati per Christum orbis millesimo trigesimo secundo. Dein Cathedralem Spirensium Ecclesiam condidit atque fundavit, in qua cum coniuge, Filio, Nepote, ac Pronepote Henrico III. IV. & V. eius nominis Imperatoribus humari voluit, quorum monumenta etiam nunc illic spectan-

ſpectantur. Henricus autem III. Anno milleſimo quadrageſimo imperavit. Henricus IV. Anno milleſimo octogeſimo primo. Henricus V. milleſimo centeſimo ſeptimo. Hos ſecutus eſt Lotharius II. Anno inſtauratæ ſalutis milleſimo cẽteſimo viceſimo ſexto, & poſt eum Conradus III. ſub Annum Chriſti milleſimum centeſimum triceſimum nonum. Hinc ad Fridericum Barbaroſſam Imperij gubernacula deducta ſunt Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, quem ætatis ſuæ anno trigeſimo octavo. Adrianus IV. coronavit octavo decimo Iunij Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto. Succeſſio dein ad Barbaroſſæ filium Henricum VI. tranſijt Anno milleſimo centeſimo nonageſimo. Ab huius morte ſceptrum accepit Anno milleſimo ducenteſimo octavo Otto IV. Quo imperante concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Pontifice Maximo Romæ eſt celebratum Anno

millesimo ducentesimo decimo quinto, cuius decreta passim iuri Canonico inserta extant. Post hunc Romæ coronatus est Fridericus II. Anno millesimo ducentesimo vigesimo. Friderico mortuo Rudolphus Habspurgi Comes maior animo quàm fortunis, cum varij Principes Imperium oblatum renuissent, Sceptrum Cæsareum non sine omine suscepit Anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio. Ab huius obitu Nassoviæ Comes Adolphus Imperio Leges tulit Anno millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. In cuius demortui locum substitutus est Albertus Austrius Rudolphi Filius Anno millesimo ducentesimo nongesimo octavo. Post eum floruit Anno millesimo trecentesimo septimo Henricus VII. cui Successor designatus Anno millesimo trecentesimo decimo quarto Ludovicus IV. Quem pone secutus Anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto Carolus IV. Carolum extrusit Wen-

ſit Wenceslaus Filius Anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono. Sedem Imperij de hinc occuparunt Rupertus Comes Palatinus Anno 1490. qui Heidelbergenſem Baſilicam Honori S. Spiritus erexit in qua etiam & ſibi & coniugi tumulum ſtatui imperavit; Sigiſmundus Caroli IV. filius Anno milleſimo quadringenteſimo vndecimo; Albertus II. Anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo octavo; Fridericus III. Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo. His adnumeratus eſt Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto Maximilianus I. Archidux Auſtriæ Filius Friderici III. Hic genuit Philippum Burgundionum Ducem & Hiſpaniæ Regem Parentem Caroli V. Qui Carolus orphanus relictus à patris obitu ad Imperij Gubernacula evocatus eſt, Adijt Imperium Anno milleſimo quingenteſimo decimo nono, tenuitque triginta novem annis multaq;

egregia facinora imperio digna perpetravit: laboribus denique fractus cum se imperio abdicare statuisset, Philippum Filium Regem Hispaniarum renunciavit, in Ferdinandum vero fratrem Imperium Romanum transferri fecit Coloniæ Agripinæ die quinto Ianuarij. Ferdinando postmodum successit Maximilianus II. Ferdinandi Filius Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Fuit Maximilianus Parens sex nobilissimorum filiorum, quorũ quilibet imperare merebatur si fata ita voluissent, scil. Rudolphi, Matthiæ, Ernesti, Maximiliani, Wenceslai, & Alberti. In eius locũ evectus est Rudolphus, deinde Matthias. Post Matthiæ mortẽ Ferdinandus II. An. millesimo sexcẽtesimo decimo septimo Francofurti Electus est; Quo imperante immane hoc belli incendium in Imperio exarsit; cuius ad decennium prope spectator fui, ideoque posteritati quæ vidi, certis monumentis relinquere volui.

Ferdinan-

Ferdinandus cum videret ſe paulatim virtute in tantis calamitatibus deſtitui, coacto Ratisponæ concilio Electorali petijt Regem Romanorum creari, qui ſibi paulatim deficienti ſine turbis à morte ſuccederet in Imperio. Electus eſt vnanimi ſeptem virorum conſenſu Anno 1637. Ferdinandus III. qui optime de Imperio merito Parenti ſubſtitutus eſt, cum is paulò poſt Viennæ vitam feliciſſimè pacatiſſiméq; poſuiſſet. Plura non adijcio niſi quod Imperij habenæ ſemper DEI nutu ſingulari talibus conceſſæ ſint, qui vel maxime eas renuebant: vnde ego noſtri temporis iniquiſſimam conditionem incuſans deteſtor, cum varios principes ambitioſo ductos faſtu ad potentiæ imperialis faſtigium, nil penſi ducentes iurene an iniuriâ id fiat, ſine DEO ſine conſcientia eniti video. Quam vero id periculoſum ſit, noſtra docebit narratio recentibus omnino caſibus facta. Tu amice Lector alieno periculo ſape;

ſciaſque me non niſi viſa loqui, quippe qui multis tragœdijs vel actor vel ſpectator non otioſus interfui.

Capvt II.

Vbi compendiosè agitur de bello Guſtavi Adolphi Suecorum, Gothorum ac VVandalorum Regis contra Cæſarem.

GLadius Aquilonaris me iterum ac tertium Ibernià excivit ſub annum Chriſti ſupra ſequimilleſimum trigeſimum: Quo eodem tempore Guſtavus Adolphus Suecorum, Gothorum ac Wandalorum Rex varijs Regis Galliæ Legationibus Principum ac Ducum Germaniæ pollicitationibus evocatus, magno cum exercitu, nec minoribus animis in Cæſarem movit, magniſque paſſibus quàm mari tam terra circa S. Ioannis Baptiſtæ natalitia Stockholmio Stralſundam perrexit; quam leviter petens patentibus portis bonâ civitatis veniâ ingreſſus eſt. Subſtitit illic parum-

parumper quoad propugnaculis, vallis, foſſiſque partim inſtauratis partim de novo erectis vrbem quàm optimè munivit: inde poſtea ad alias civitates tetendit, quas facile in poteſtatem redegit, cum Cæſareani in fugam verſi hoſti nil quidquam obluctarentur. Vices Generalis inter Imperatorios tunc forte gerebat Excellentiſſimus Dominus Tuccatocont, qui cum exercitu Pomeraniam inſidebat, Gartziumque ad Oderam in arctiſſimo aditu ſitum occupabat; Hic cum militum animos in hoſtem magis quam Cæſarem propenſos, panicoque Guſtavi metuante cladem excordes animadverteret, deſertâ vrbe quantumvis munitâ mox ſe militiâ & dignitate abdicavit. In eius locum cum poteſtete ſubvectus eſt Perilluſtris Dominus Comes de Schaumburg animoſus magis quàm fortunatus miles. Hic cum ſe à Suecorum exercitu peti videret viribuſque haud parem agnoſceret Francofurtum ad Oderam cita-

tis itineribus perrexit, illudque omni armorum genere cæteroque apparatu bellico quò facilius hostem sustineret, munivit. Est Francofurtum non minus Pallade quàm Marte inclyta, ad decorem & amœnitatem loco iucundissimo exstructa, hortis, pomerijs, vinetisq; dives, potestati Serenissimi Principis Marchionis de Brandenburg subdita. Huc opportunissimè advolavit Illustrissimus Dominus Iacobus Butlerus vna cum Vicetribuno suo Waltero Butler Legionem insignem quindenorum manipulorum in Polonia proprijs impensis collectum adducens, Wallensteinius quidem ipsi omnique militi ipsius integram solutionem pactus fuerat, sed præter verba, postquam Imperatori fidelissimè adstitissent à Wallensteinio morte prævento (vt suo Loco dicetur) pro Labore & impensis recepêre nihil.

Interea Ratisponâ ex comitijs optimatum Imperij Excellentissimus Dominus

minus Comes de Tylly expeditur, qui vtrique exercitui, Cæsaris nimirum & Principum in Germaniâ Confœderatorum, (Ligæ vocabant) cum auctoritate præesset; Qui nihil cunctatus vniversalem militum delectum, non procul Francofurto indixit, cumque militiæ robur vidisset, sine morâ hostē varijs locis non sine adversariorum clade audacter aggreditur, tum Rostockio, NovoBrandenburgo, alijsque ad mare sitis civitatibus in fidem acceptis ad Magdeburgensem obsidionem exercitum applicuit. Erat Magdeburgum civitas æquè populo quàm fortunis & facultatibus nobilis, situ & munitione celebris, quippē quæ densissimo muro, duplicibus fossis, aggeribusq; contra cuiusvis hostis impetum circumcincta; Inexpugnabilis merito dici poterat virgo, nisi à virgine expugnari voluisset. Hanc ergo cum aliquanto tempore obsedisset Tyllius, multo quidem sed non vano labore,

armatâ manu, in Imperatoris cui multa cum pervicatia diu restiterat redegit potestatem. Quis mihi hoc loco referat tam potentis ac validæ vrbis excidium? Magdeburgum quod olim fuerat vniversi orbis spectaculum, nunc miseriarum calamitatumque omnium mœstissimum visitur amphitheatrum. Ecce quomodo sedet sola civitas plena olim populo, facta est velut vidua Domina gentium Princeps populorum facta est sub tributo: Plorans ploravit in nocte & lacrymæ eius in maxillis eius, non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici. Quot putas (dic sodes) hac vnâ expugnatione fortissimi nuptarum innuptarumq; fœminarum animi militum insano furore expugnati cesserunt libidini? Quot foci quantumvis luculenti vnico hoc rogo sunt consopiti? Quantæ opes scelerata Vulcani audacia direptæ in favillas & fumum exspiravêre? sed & imbelles mu-

les mulierum mentes cæteroqui ad omnem metum pronæ masculos induerunt animos, subiectoque pirio pulvere ædibus, ad motoque igne in aëra gloriosâ morte evolare maluere, quam prædantium militem iniquissimis votis cedere? Hoc sincere & sine fraude orbi testatum constanter facio plures hac obsidione & expugnatione propria manu, quam militum macheris machinisque bellicis occubuisse. Sic scilicet erat in fatis vt qui legitimo imperio ad nullius Principis nutum adduci poterant, suomet iussu in perniciem quam sibi struxerant, ruerent. Quis credat auctoratos vrbi milites sibi crudeles hoc in excidio extitisse, qui licet à nostris Ducibus sine negotio in fidem & tutelam recipi possent, omnem tamen clementiam excluserunt, cum se velut murum in fori medio opponerent, eligentes patrio busto implicari potius quam incolumitatem cum hoste pacisci? vnde miles Cæsareus in iu-

stissiimas

ſtiſſimas iras efferveſcens, obvia quævis ſternere, ædes opulentiſſimas diripere, ſuſq; deq; ſacra profanis confundere, omnem petulantiam & crudelitatem exercere; nobiles pariter & ignobiles, aris ſimul & areis dicatos in vincula trahere. Ipſum etiam cleri caput Archiepiſcopum captum Cæſari ceu hoſtem plectendum committere.

Finita tam funeſta Tragœdia, Illuſtriſſimus Tyllius aliquantiſper illic ſubſtitit, vix ipſe ſuis oculis credens; tam nobilem vrbem, nulli illuc vſque hoſti ſubditam à ſe ſuiſque in poteſtatem Imperatoris eſſe reductam.

Poſtquam verò tot funeribus piè parentaſſet, victoriarumque Auctori Deo debitas laudes dixiſſet, in Saxoniam commigravit, vt fidem Ducis Saxoniæ probaret: quem vt in Cæſaris iuſſa nutare animadvertit, hinc inde levibus velirationibus aggreſſus, ad fraudes & diſſimulationes adegit. Simulabat enim mirari ſe cur velut hoſtis

impe-

impeteretur à Cęſareano milite, cum in Cæſarem nullũ, vnquã militem eduxiſſet, eum verò militem quem penes ſe haberet, non in Imperij Imperatoriſq; excidium, ſed ad ſui ſuorumq; incolumitatem conſervandam conſcriptum eſſe: Qua quidem in ſententia perſtitit quod Suecorum Rex intercepto ad Oderam Francofurto in ſubſidium approperaret. Hic Tyllius demum intelligens quàm vanis illuc vſq; ſpebus lactatus eſſet, ad Lipſiam exercitum admovit, vrbemque (citra arcem tamen) ſubegit. Interea Saxo coniunctis cum Sueco armis, quod diu tectum ſub pectore foverat odium, vno impetu in Cæſarem & Cæſareanos evomuit, instructaq; acie, in latiſſima circa Lipſiam planitie adverſarios in prælium invitavit. Quid hic faceret maſculus Tyllij miles, pugnam detrectare tot victorijs clarus ſine famæ iniuria non poterat, decertare cum duplici hoſte ne cordatiſſimi quidem Herculis eſſe probe videbat,

debat, opponere tamen ſigna ſua hoſtilibus maluit quam metum prodere, coactis igitur in cumulum agminibus fidenter hoſtē aggreditur. Fit prælium præludunt maiora vtrimque tormenta bellica. Cæſariani dum forte pluribus victorijs contra Daniæ Regem, Comitem Palatinum & Mansfeldium alioſq; Imperij hoſtes ſe plus efferunt quam par erat, victorias alias partas fœdiſſima ſtrage miſerandũ in modum commacularunt. Diſcite milites aliena clade docti, nuſquam hoſtem quantumvis imbellem eſſe aſpernandum, induit nonnunquam trepidans etiam damula audaciam & in adverſarios inſultum parat, vt ſi qua ipſa vitæ diſcrimen evadere nequeat, in eandem ſaltem perniciem ſimul hoſtem impellat. Ac licet prima pugnæ auſpicia Imperatorijs copijs faviſſent hoſtisq; gravi ſtrage accepta cederet, vbi tamen vidit ſe temerè contemptum, militemque Cæſareum partim prædæ patim quieti intentum,

revocat

revocat in prælium animos, noſtrosq; in cautiores, nec tale quid cogitantes opprimit fœdéque fundit. Hic dum animoſus Cæſarianorũ Ductor Tyllius in prima acie obequitat, ſuosq; in hoſtem qua verbo qua facto animat globulo plumbeo graviter ſauciatur, videnſq; hoſtilia prævalere arma, honeſtam fugam vlteriori militum cladi præpoſuit, relictiſq; poſt ſe tormentis impedimentiſq; omnibus in tutiora ſe loca tranſtulit. Contigit hæc in opina clades aliàs ſemper Victori hoſtium Tyllio Anno partæ ſalutis ſupra ſesquimilleſimum centeſimo triceſimo primo, menſis Auguſti die ſexto decimo.

Hac victoria vterque hoſtis erectior agmina bipartito dividit. Et Guſtavus quidem ſuum militem per Miſniam in Franconiam ac poſtea in Archiepiſcopatum Moguntinenſem duxit, vbi veluti deſperatis omnibus Principes fugam arripuere, relicta opima hoſti præda, quam amico ante militè in ſtipen-

dia

dia negaverant, ſimulq; munitiones vrbesq; fortiſſimas, ſolo auro argentoq; inſtructas ſine milite fœdiſſimè deſtituere. Dux vero Saxoniæ cum ſuo exercitu in Bohemiam movens bonam eius partem cum nobiliſſimis vrbibus & arcibus Brixa, Egra, Elenbogen, Branduſio, ipſoq; Bohemiæ capite Praga victorioſis armis ſuis ſubiecit. Fuit hoc tantorum in Germania calamitatum primum exordium, quod ex ſola armorum præcipitatione natum in ſæviſſimas miſerias excrevit. Si enim Cæſariani ſuſtentare voluiſſent prælium, quoad Comes de Tieffenbach & Generalis Aldringer vterq; cum ſuis copijs acceſſiſſet, illuc res Imperij nunquam deſcendiſſent. Sed ita erat in Fatis.

Hæc dum ad Lipſiam aguntur Tieffenbach Sileſiâ excedit per Luſatiam, & cum tribus millibus ſelectorum militum occupat Gôrlitz, Sittau, & Bautzen civitates Saxoni duci ſubiectas, feciſſetq; vlteriores progreſſus, niſi inſperata

Tyllij clade perculſus viam in Bohemiam relegere fuiſſet coactus. Itaque cum copijs ſuis Equo-pedeſtribus Lymburgenſem ciuitatem ingreditur. Eſt Lymburgum vrbs omnino venuſtiſſima, duplici muro cincta, quam circumquaq; Albis allabitur. Huc Saxonicę copiæ decem millia militum magnis paſſibus contendunt, citerioremq; Albis ripam inſident, eo loco quo ponte ligneo fluvius inſternitur. Quoniam vero Saxonicum exercitum à Cæſariano flumen diuidebat, Comes de Tieffenbach aditum pontis occupandum ratus, quo Saxo ne in vlteriorem ripam ſuos exponeret: Mittit igitur cum legione Hybernorum Dominum Iacobum Butlerum, qui tumultuario opere propugnacula turriculaſq; humiliores excitat. Quod dum vidēt hoſtes quam mox magnis aggrediuntur animis dictam legionem, ſed haud minoribus repelluntur. Erexerat Iacobus in primo huius pontis aditu propugnaculum,

parvum id quidem, ſed egregiè omni bellica arte munitum, in quod ſubſidiarios abdiderat pluſculos, quos vetuit ſub pœna capitis ante exonerare fiſtulas tormentarias, quam hoſtis omnis in dictum propugnaculũ enixus eſſet: Huc dum Saxones multo cum ardore concurrunt, nil tale metuentes ſemel iterumq; maxima cum clade repelluntur. Quia tamen impetus aduerſariæ partis invaleſcebat, coacti ſunt Butleriani deſerta ſtatione pontem tranſire, quem poſt ſe partim demoliti ſunt partim igne iniecto exuſſerunt. Hinc hoſtis vltimum capiendæ vrbs medium ignitos globos in ciuitatem eiaculatus eſt, eo ſucceſſu, vt vrbs varijs in partibus accenſa bonam partem conflagrarit. Nec tamen vel ſic in deditionem cogere potuit, ſoluta itaq; obſidione multa ſuorum clade aliò commigrauit.

Butlerus autem poſt multa in ſeruitio Cæſaris obſequia præſtita, maleuolorum retulit odium, (nec mirum cum virtus

virtus ſemper æmulos pariat) quibus tamen vt ſe liberaret, depoſuit militiam Germanicã & in Poloniam poſtl minio reverſus eſt, virtutemque ſuam contra Moſcovitas (qui tum Polonos bellis laceſſebant) exeruit.

Hoc eodem tempore Albertus de Wallenſtein Generaliſſimi titulum adeptus eſt vt ſuo loco pluribus exponetur.

CAPVT III.

De Progreſſu Guſtavi Adolphi Suecorum Regis in Imperium.

PArta ad Lipſiam nobili victoria fuſiſq; Cæſarianis copijs, in vlteriorem Germaniam promouit Guſtavus Adolphus Suecorum Rex; Tranſitoq; Würceburgi Mœno Francofordiam aggreſſus, nec magna opera in deditionem accepit. Dein Moguntiam excurrens intra pauculos dies, Præſidij rerumque omnium ad diuturnum obſi-

dionem ſuſtinendum neceſſariarum defectu, ſibi ſubiecit, ſicut & alias quaſdam ciuitates quas liberas ſeu Imperiales vocitant. Vnde facilis ei per Ducatum Wirtenbergenſem in Sueviam patuit aditus. Mox Donavverdæ Danubium ponte nauali ſtrauit. Eſt Danubius Fluviorum totius fere Germaniæ Princeps, & præter aliorum fluminum ordinem contrario fluxu ex Occidente in Orientem labitur; Ducens ſcaturiginem primam ex Arnoba monte in Hercinia Sylua prope pagum Doneſing. ſito, allabiturq; nobiliſſimas Bavariæ & Auſtriæ ciuitates, ſibi ſemper cognominis, quoad ſe exonerans in Illiricum nomen mutat Iſterque dicitur. Hunc dum Suecus traijcere cum milite ſibi ſubdito omnibus viribus connititur, ex aduersà pontis parte oppoſitas Tyllij phalanges fortiter traiectum ipſius viginti quatuor horis prohibētis animaduertit, quoad tandem pilis plumbeis vltro citroque emiſſis fortiſſimum legio-
num

num Cæsarianorum Ductorem Tyllium lethali vulnere strauit, ex quo non multo post Ingelstadium delatus animam Deo reddidit, atq; æternã post se memoriam tot hostium victor apud seram posteritatem reliquit. Sublato campi ductore, facile est vel coniecturà assequi, quanta celeritate se eius exercitus in tutiora loca receperit, quem non segniter insecutus hostis, totam late Bavariam infestauit, iniectoque igne pagos, oppida ac vrbes exurendo; sacras Deo diuisq; ædes, monasteria virorum, fœminarumq; Parthenones depopulando, Sacerdotes & Religiosos miserum in modum mactando, Deo deuotas virgines sacrilege incestando, tandem Ingolstadio omnẽ exercitum suum admouit; qui tunc munitioni illi cum potestate præerant, haud multum ab hoste discedebant, cui etiam eam tradidissent omni bellici apparatus munitionisque genere instructissimam, nisi tempore fraus fidelioribus quibusdam

Ducibus detecta fuisset; coniecti sunt in vincula proditores, ex quibus quidam Brussiæ Comes de Farensbach qui cum Suecis colluserat. Latebat tunc hostem de dolis detectis, cum vrbi ipse approximat, portasque consulto patentes ingreditur, sed mox à disposito Cæsariano milite quinque vel sex millia capitum nil tale opinantium sternuntur. Sed & ipse Gustavus Adolphus Suecorum Rex capitis periculum adijt, dum enim propior vrbem mœnia speculatur, Globus ex vrbe libratus in caput Equi qui Regem vehebat impingitur. Quo quidem periculo perculsus solvisse obsidionem quantocyus putatur.

Hoc eodem Anno M. DC. XXXII. Generalissimus Cæsarianarum copiarum, numerosissimum militem in campum eduxit, ciuitatemque Pragensem Imperio reddidit, idq; triduo ante Pentecostes; pulsis dein tota Bohemia hostilibus copijs, in superiorem Palatinatum

tum commigrauit, vbi se Fridlando cõiunxit Serenissimus Bavariæ Dux Maximilianus cum selectissimo exercitu. Habebat Wallensteinius in comitatu Esseda duo, quæ adeo vniformibus trahebantur equis, vt ne minima pilorum labe à se mutuo distinguerentur: Equi potissimam partem candidi erant, nisi quod candorem nigræ hinc inde maculæ venustissimè confundebant. Horum alterum ipse Dux insidens Boiariæ Principi vna cum cohorte cataphractorum, centuria Equitum selectorum, & turma Equopedestrium, quos Dragones vocant, & agmine Satellitij obuiam processit, consiliaque de modo obsistendi hosti contulit. Tum contra Suecos iam suis viribus diffisos, & ad montem Noricum abscedere cogitantes castra mouerunt, vbi continuis velitationibus sese lacessiuerunt quæ vtriq; parti multo sanguine stetterunt. Hic cum Nobilissimi tres exercitus ob annonæ difficultates diu subsi-

ſtere non poſſent, Sueci, vt ſe periculis eximerent, omnia ad conflictum doloſe diſpoſuerunt ne fuga, quam in proximam veſperam meditabantur adverſarijs innoteſceret. Totum dein diem, alijs atq; alijs contra Cæſarianos emiſſis velut præludia pugnæ dedit, eaq; in noctem ſuæ fugæ idoneam produxit: Sub noctem vero intempeſtam Norimberga per denſam ſylvam clam ad Saxones mouit. Poſtero diluculo vt noſtri ſe luſos animaduertere ſine mora ad hoſtem proſequendum ſigna tollunt, ac Lipſiam verſus abſcedunt, quo vt ventum eſt Wallenſtein prælium Guſtavo obtulit, ratus ſatius eſſe de ſumma rei confligere, quam tot terras ad mendicitatem cogere, totq; millia hominũ fame ſitiq; conficere. Conſenſit quidem hoſtis in conflictum, ſed cum Cæſaris militem ſibi ſuperiorẽ probe noſſet, noctu iterum ſub ſilentio ſigna ad quinq, milliaria iſthinc protulit. Qua fraude Wallenſtein animoſior, exercitum

citum ſuum tripartito diuiſit, cuius partem vnam Pappenheimio, alteram Holckio tradidit ducendam, tertiam denique ſecum retinuit, de hoc vt per exploratores certior, redditus eſt Guſtavus, contra Wallenſteinium iuit: de Regis contra ſe aduentu Wallenſtein ex ruſtico doctus, totam noctem cum exercitu ad conflictum ordinato vigilem exegit, ſimulq; eueſtigio Pappenheimium in ſuccurſum adeſſe iuſſit, qui nil cunctatus adfuit prælio iam cepto, nec mora cum equitatu hoſtem & ipſe Pappenheim aggreditur tanto impetu, vt præter cladem aduerſarijs illatam ipſum etiam Sueciæ Regem ſtrauerit, qui quidem non inultus cadere voluit, quandoquidem & ipſus Pappenheim eodem prælio fuſus occiſuſque eſt. Ita vno eodemque prælio duo fortiſſimorum ducum, quorum ſimiles neſcio an Germania toto retro belli tempore habuerit, fatis conceſſerunt. Regium cadauer Suecis Scotiſq; quantumuis ob-

nitentibus Cæsarianis è prælij loco sublatum est: totoq; reliquo die fortissimè vtrimq; dimicatum ambiguo diu marte, quoad deniq; Pappenheimij peditatus cum nocte accedens pro Cæsareanis litem diremit, integra agmina Suecorum vt in loco prælij steterant, fusa sunt, reliqui fugati. In tenebris itaque discessum est vtrinque, relictis tormentis maioribus ita ambigua victoria, vt neutra pars sciret victorne an victa esset.

Ego circa hæc tempora per Poloniam, Daniam, & Nortvvegiam in Iberniam contendi. Quo in itinere cum Poloniam transirem mirabile mihi portentum obtigit videndum. Erat crucifixi Christi simulacrum more Christiano & Catholico erectum non procul à pago Grudin in cuius caput Suecicus furor gladio seu vt alij securi sæuierat, ex quo vulnere etiam tum recentissimus scaturiebat sanguis, qui hodie etiamnum manare dicitur: Hoc, excita miraculo

culo Iudæa mulier ſurda & muta plena ſpe optima contendit, integramque inde ſanitatem retulit. Hoc ego ipſe oculatus teſtis coram DEO veriſſimum adſtruo.

CAPVT IV.

De noſtro ex Iberniâ per Britanniam in Germaniam Itinere.

PLuſculi olim Iberniæ Inſulam varijs Commentarijs illuſtrarunt, vnde longiore hoc loco diſcurſu haud opus, illuc curioſum Lectorem qui plura noſſe deſiderat remitto, hæc obiter nobis inſinuaſſe ſufficiant. Ibernia olim ab Himeco ſeu Hibero Galhelis & Scotæ (vnde Scotia nomen ſortita eſt) filijs. Dicta creditur, vel, quod vero ſimilius, ab Ierna. Diuiſaque Anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo ſexageſimo in quatuor partes ſeu Prouincias ſiue Ducatus, qui hodie quatuor Archiepiſcopatus appellari videntur. Fidem

ortho-

orthodoxam recepit Anno post parientem Virginē quadringentesimo trigesimo tertio. Hac in Insula visuntur quæ omnem prope fidem humanam excedunt, nisi etiam nunc hodie euidentissima extarent monumenta, quæ ipsemet coram oculis vsurpaui.

In Vltonia Insulæ huius parte lacus Niachensis est, in quem si palum figas ligneum (mirabile visu) ea parte qua terræ inhæret in ferrum quantocyus abit, altera quæ aquis alluitur lapidescit, reliqua lignea manet vt ante fuerat. Visitur non procul inde & alia Insula in Ducatu Momoniæ Comitatu Typerariensi, in qua nemo vnquam moritur, & licet illic morborum vis homines affligat nunquam tamē ad mortem deducit quam diu inibi detinentur, vnde viuentium Insula vocitatur. Hanc etiam Insulam ego ipse vidi. Ibidem spectare est & aliam Insulam, in qua mortuorum cadauera sub terra nec tabe nec alio quouis modo resolvuntur, vn-

tur, vnde poſt annos plurimos omnis retro poſteritatis aui, proaui, maioreſq; vniuerſi clariſſime diſtingui poſſunt. Non procul inde alia monſtratur Inſula vbi præteruolantes auiculæ, virtutem volatus perdant, adeo vt niſi alio efferantur alarũ remigio vti nequeant; ſolent huius Inſulæ viciniores accolæ quotannis hinc gregatim omnis generis auiculas ſcaphis ad exteros deportare. Fontem quoque aiunt eſſe in Comitatu Cilkinenſi, Ducatus Lageniæ prope territorium Domini Comerfort qui fluxum refluxumque intra viginti quatuor horas patitur. Portenta omnia excedit Purgatorium quod S. Patricij nuncupatur, eſtque antrum ſeu ſpecus aquis ſeu lacu circundatus in Prouincia Vltoniæ in quem peregrini ante ſceleribus expiati, ac ſacro epulo muniti ingrediuntur, illicq; viginti quatuor horis orationi & vigilijs incumbunt ac ſæpe miſerabiles eiulatus, ferarum etiam clamores audiuntur, videntur-

que

que multa quæ vix verbis explicari queant.

Eſt cæteroqui Iberniæ Inſula omni fructus genere fœta, & ab aëris temperamento ſaluberrima, omnibus venenoſis animalibus etiam aliunde illatis mortifera. Incolæ ab liberalitate educationis & morum commendati; niſi quod bonorum ſuorum ſint prodigi, & gloriæ appetentiſſimi, qui licet literis non ita exculti ſunt, in fide tamen orthodoxa firmi & ſtabiles, exterorum & maxime virorum Eccleſiaſticorum amantes, ex Anglorum commercio dedocti ſunt priſtinam illam Barbariem, quam S. Bernardus Claræuallis Abbas in vita Malachiæ Vltonienſibus & Conacenſibus exprobrat dicens, ſicut piſcis in mari non ſapit ſalem, ita Malachias inter Barbaros (id eſt Vltonienſes, inter quos Archiepiſcopus Eccleſiam rexit) nullam Barbariem traxit. Eſt etiam hac in Inſula multa varietas fontium, lacuum, fluviorum, montium quoque

quoque & camporum planiſſimorum. Conſeruntur inibi horti, pomaria, viridaria; ciuitates quoq; nobiles ad omnē elegantiam exſtructæ reperiuntur. Putabant ex antiquioribus quondam ſcriptoribus in Iberniâ perdices non reperiri, ſed nec carpiones, cum tamen hodie ijs ſit refertiſſima vt videre eſt in nobiliſſima Illuſtriſſimi Comitis Richardi BoyePiſcina vbi carpionum prope infinitus eſt numerus; non tamen abnuerim Carpiones ab Anglis primum in Iberniam eſſe illatos: reliqua huius terræ bona brevitatis memor non attingo, ſed aliorum prolixioribus hiſtorijs exequenda relinquo. Nunc ad iter meum reuertor.

Dicto igitur vale Amicorum integerrimis Vatei formiam abij. Hæc Civitas à numerosà populi multitudine, quàm mœniorum ambitu, potius eſt commendanda, quæ vt in fide orthodoxa eſt feruens, ita virorum Doctrina & ſanctitate conſpicuorum ferax, neque

enim

enim orbis eſt Angulus in quam eius virtutis gloria non penetrarit. Hinc ad Paſſagium contendi vbi ſex aſſium precio ſat laute die integro viuitur, vnde conſcensâ nauiculâ in Angliam ſolvi, & primo Mimertum, tum Briſtonem amplam civitatem emporiumq; nobile attigi, mox prætervectus Mersfildam, Redenam, Wengeriam Londinum ciuitatem à commercijs & famà notiſſimã veni, in qua præter celeberrima ædificia tam ſacra quam prophana vidi templum honori S. Pauli erectum cui neſcio an ſimile vſquam viderim, craſſiſſimis enim columnis ad prodigium incubat, tectumque plumbi lamina ſtratum altiſſime exſurgit. Inſtauratum eſt hoc templum Regis hodierni ſumptibus. Cæterum ciuitas celebri fluvio alluitur in quem fluxus & refluxus eſt maris, vnde nauigiorum opulentiſſimis mercibus oneratorum plurima illuc ducitur copia. Imminet fluvio immani opere & ſumptu pons lapideus, in

quo officinæ mercatoriæ visendâ serie erectæ sunt. Ostenditur quoque hac in vrbe turris vastissima quæ vndiq; aquis alluitur, circum quam feræ discurrunt exterorum populorum rariores, & meo quidem tempore istic videre erat tres Leones, duos Pardos, felem Indicam quæ quantitate canem nostraté æquabat. Lupum insuper vnum extra quem tota Anglia nullum ferre dicitur. Duas prætereа aquilas nigram vnum alteram candidam. Vidi quoque hac in vrbe Telonium nobile in quo mercatorum illuc appellantium causæ seu controuersiæ ratione nauigationis exortæ deciduntur. Præsident hic quatuor equestris ordinis viri non minus strenui quá docti, quorum arbitrio omnia relinquuntur definienda. Quisquis Londino soluere alio desiderat syngrapham horum Iudicum sigillo munitam habeat necesse est, quam inquisitoribus postea in Grauelin exhibeat. Solent hoc loco omnes aduenas seuerissime exami-

nare de fidei controuersijs, & iuramento adigere quod Angliarum Regem caput Ecclesiæ Anglicanæ agnoscant. Sed facile est Catholico inuenire, pseudolum, qui Iuramento præstito syngrapham sibi vendat, qua tutus libere à portu soluit. Vidi quoq; antiqui operis Basilicam, Westmonasterium appellant, in qua Regum sepulturæ visuntur & epitaphia sumptu regio fabrefacta. Chorus interior Cathedram exhibet super quam Reges Diademate imposito inaugurantur. Supra eam ex vinculo ferreo dependet tabella cum hac Epigraphe.

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum, &c. Quam Fergutius primus Scotiæ Rex ex Ibernia in Scotiam transtulit, hinc postmodum in Angliam ablata est. Prope dictum chorum locus spectatur in quo Regum Icones ita ad vivum expressæ reseruantur vt prope spirare in muta tabula videantur. Regias ædes templo vicinas aulam candidam

dam nominant, vbi quot diebus magnificæ exstruuntur epulæ, ad quas liberrime omnibus magnatibus tam exteris quam inquilinis accumbere integrum est. Hinc Gravesin nauigaui exhibitaq; syngrapha mea mox ad aliam nauim transij, cui cum contrarius esset ventus, non nisi post viginti quatuor dies Hamburgi appuli. Hamburgo postea Lubecam cursum nauigationis direximus ciuitatem non minus elegantem quam ab omni munitionis genere contra hostiles impetus munitam marique Balthico iniectam, vbi continuas est abeuntium aduentantiumque nauigiorum vicissitudo.

CAPVT V.

De Itinere meo Gedanium versus.

AD ripam maris Balthici dum commodum vlterius promouendi expecto opportunitatem, duæ facilè labuntur hebdomades antequam Geda-

niam ſoluere poſſem. Conſcenſa tandem naui aduerſis ventis & tempeſtatis vi variè iactatus ſum, ſed cum procedendi non eſſet modus, anchoræ haud citra periculum iactæ ſunt. Tempeſtas enim ſæua ipſis viginti quatuor horis nos dirum in modum ita exagitauit, vt Scaphæ à prætoria reſecandæ fuerint. Mitius tamen in nos quam alios hæc procella detonuit, quæ quidem alibi naues pluſculas fluctibus inuoluit. Hic igitur dum nos inter mortis vitæque ſpem dubiam ſubſiſtimus, maris Domitori fluctuumq; Induperatori ſupplices ſimus qui pro infinità ſua miſericordià mortis nos faucibus clementiſſimè ereptos incolumes tandem in Gedanenſem portum ſæpe diuque deſideratum Regique Poloniæ ſubiectum expoſuit.

Hac eadem tempeſtate ex Lipſtadianis Danorum Regi ſubditis interiere hominum triginta millia, vna cum ciuitatis Lipſtadianæ medietate, nec etiam Hambur-

Hamburgensibus institoribus pepercit, quibus immania damna intulit.

Gedaniæ diuerti apud viros Religiosos, qui à S. Dominico primo eorum Fundatore nomen habent: inter hos reperi Patrem vnum Hispanum hominem in paucis mansuetum & humanum, qui mihi retulit, se quoq; à dicta tempestate cum Comite suo (erat is Hispaniarum Regis Legatus) etiam deprehensum, vix aut ne vix quidem idque ope magnæ Matris Virginis Stellæ maris procellæ impetum euasisse. Hic enim cum alterius sectæ viri religiosiores qui eadem naui vehebantur, ad solennem decantandi psalmos suos consuetudinem in vnum locum confluxissent, Hispanos ad comprecationem venerationemq; Matris misericordiæ adhortatus est, cuius benigno fauore omnino putabat nauem saluam in tutum euasisse. Fiebant tunc fortè hoc in Monasterio exequiæ, seu iusta funebria Nobili cuidam Polono, Regi olim à cubiculis

(quibus ipſe etiam Hiſpaniæ Legatus interérat)hoc ferè ritu. In medio chori Cœnotaphium (caſtrum doloris vocitant) erectum erat, quatuor innixum poſtibus, ac vndiq; inſtratum lugubri panno, ac vario Emblemate Natalitiorum inſignium affabre illuſum; circumſtabant in argenteis candelabris tædæ mortuales, Lampadeſque plurimæ dubium lumen affulgebant, ad aram pullà inſtratam veſte Achimandrita quidam vir imprimis grauis, qui cum ad Evangelij lectionem perueniſſet, tantiſper ſubſtitit dum pro concione Encomia ſeu laudes defuncti dicerentur. A cõcione, ſacro preſentes hanc ad oblationem (offertorium communiter dicunt) tenuere proceſſionem. Mœſta imprimis vidua comitata duabus nobilibus fœminis, cum ſua ſobole & famulari comitatu primum ducebat agmen, ſingulæ nobilem quendam heroëm Ductorem ad latus habebant, veſtiebantur omnes nigris, defluente ex capite in-

te in totum corpus craſſioris fili tela, qua ſe ita inuoluebant, vt vix oris nariumque extremitates apparerent. Ad altare vbi ventum eſt, aræ libarunt oſculum, ſimulq; ex diſco, quod Nobilis quidam manu protendebat accepto numiſmate, ante altare obtulerunt. Hos eodem ritu ſequebantur quotquot funebri pompæ intererant tam viri quam mulieres, Nobes ſeu ignobiles diſpari tamen è panno pro conditione cuiuſq; veſtimento. Ventum erat ad ſacram Dominici corporis in Euchariſtia exhibitionem, cum ecce tantus in templo ſeſe ſecundum genas & vultum verberantium, in memoriam triſtis alapæ, à Chriſto olim in paſſione perpeſſæ, oritur fragor, vt prope in vſitato perculſus ritu extra me raperer. Sacro tandem finito, veſpillones nigris penitus obuoluti ſaccis defunctum ad ſepulturam detulere: abſoluta ſepultura in medio Eccleſiæ omnibus ad funus Comitibus ſolennes ſunt actæ gratiæ,

 atque

atque ita ſinguli domum dimiſſi redierunt.

Capvt VI.

Rationem Itineris noſtri ex Poloniâ in Germaniam oſtendit.

DIe viceſima nona Octobris Gedaniâ diſceſſi, & Turroniam trium dierum ſpacio veni, illic in S. Dominici Conuentu diuertens à Reverendo Patre Valentino Foldin illius Familiæ Antiſtite perhumaniter ſum acceptus & aliquot dierum ſpacio benigniſſimè habitus, inde Poſnaniam iter inſtitui, iterumq; in D. Dominici Monaſterium hoſpitio ſum receptus, atq; à R. P. Alberto Margonio plurimum humanitatis expertus ſum. Degebant ſimul iſtic ſeptuaginta Religioſi, qui vt votis, ita animis admodum erant cōcordes. Poſt ſex dierum commorationem pactus ſum cum aurigis Poſnanienſibus, vt me in Comitatu ſuo Vratislaviam deducerent,

cerent, quod ſanctè ſe facturos polliciti ſunt, ſed parum alba fide præſtiterunt: vix enim Crotoſinum oppidum in Sileſiæ confinibus ſitum attigeramus, cum ipſi vino effervefcente in ſaltationes & tripudia, præeunte tibicine, abierunt, & mox me nil minus cogitantem ſcommatibus dicterijsq; indecentibus impetiuere, cauillantes Literas quas à Poſnanienſi Senatu in ſalvum conductum acceperam, non eſſe niſi ſuppoſititia Ieſuitarum commenta, nec impoſterum valere. Quid hîc agerem in hoſtili terrâ expoſitus, & vndiq; Saxonicis Suedicisq; copijs non procul inde abſentibus circumcinctus, quibus me tradere aurigæ minitabantur? Suaviter quidem eâ nocte diſſimulandum, & patiente ſilentio ſales parum ſalſos perferendos eſſe ratus, omnia in ſequens diluculum diſtuli. Poſtero igitur manè continuo acceſſi loci præfectum peramice poſtulans vt mihi conſilio auxilioque ſuccurreret. Hic meam ſortem

miſeratus, aurigas ad ſe accerſitos, conuocat, & vt varias vltro citroq; accuſationes excuſationeſq; audierat, fideiuſſorem ante diſceſſum ſibi conſtitui aurigis imperat, qui ſponderet quo me indemnem Vratislaviam ſine iniuriâ eſſent deducturi, quem vbi dederunt, ſine mora diſceſſum eſt. In viâ varia variorum fuit coniectura & ſuſpicio, Sacerdotem me non Mercatorem quem ſimulabam eſſe, quod tamen Aurigæ conſtanter negabant. Interea appropiamus portis Vratislavienſibus, vbi de conditione ſingulorum, & patriâ, cauſiſque itineris ſingulis reſpondendum fuit, ad me vt venit quæſtio, produxi literas ſalvi conductus mei, ex quibus vt cognoverunt, me mercaturam exercere, de mercium genere inquiſivere, ego Haleces magno impēdio illuc deduxiſſe aiebam, dum verò literæ noſtræ ad Gubernatorem, deferuntur, deducimur ad forum vt currus noſtros halecibus exoneraremus, volebam hic aurigis

gis meis valefacere, cùm ecce tibi novã mihi de vecturæ precio litem intentant, triplicatam à me exigentes mercedem, quam nisi penderem, proditionem minitabantur. Factum id reor ideo, quia cũ in singula capita introeuntia & exeuntia portas Vratislavienses Grossus exigeretur vt stipendia militi commodius solvi possent, in immensum ascendebat vecturarum telonium. Itaq; cum non omnino à me exigi iniquum viderem, satis dedi omnibus & bona cum pace abiui ad Patres Dominicanos quorum tres istic vitam ægrè trahebant, ob alimoniæ parcitatem, cuius defectu quinque iam ex eorum contubernio socij fame obierant. Civitas porro Vratislaviensis munitissima est, quam circumlabitur Odera. In ea tunc præsidiũ alebatur Saxonicum; in quo locum tenens Colonell. Catholica profitebatur sacra, cuius auxilio cum Tympanista Olam quatuor milliaribus Vratislavia distantem deductus sum. Erant Olæ præsidiarij

ſidiarij Cæſarei, quorum Colonellus Dominus Georgius Roſtock Cæſari fidiſſimus, vt de meo adventu audivit, Cymbâ per aquam tranſmitti fecit & ſerâ nocte in vrbem apertis portis admiſit. Vrbs hæc potiſſima ex parte incendio abſumpta eſt, arcem habet munitiſſimam, quam ipſe tribunus inde oriundus egregie munivit, & pro Cæſare contra Saxoniæ Ducem illius loci Dominum pertinaciter tenuit multo tempore, obtrectatoribus infidelitatis ſibi notam impingentibus reſpondens, ſe Domino ſuo (Saxoni) fideliſſimè ſerviviſſe, quamdiu pro Cæſare ſteriſſet, quando verò ab eo defeciſſet, ſe contra ipſum non minore audacia facturum. Hinc ego, cum aliquot diebus quieviſſem, cum ſalvo militum conductu Nyſſam ad Perilluſtrem Dominum Ioannem Wanglerum Generalem vigiliarum præfectum Equitatus peditatusq; per Sileſiam recto itinere diſceſſi, à quo amicè tractatus, poſt denûm dierum inter-

intervallum ad Filium eius eiusdem nominis missus sum. Hyemabat ille tunc forte in Bohemiæ finibus, eratq; miles quidem ætate vt apparebat iuvenis, sed prudentià, & rerum militarium non minus quam Linguarum peritiâ saue perquam egregius, pusillo quidem corpore, sed spiritu supra staturam erecto. Erat cum ipso Colonellus Equitum Olfeldt dictus, ex Daniâ oriundus, Cæsari plurimum addictus, & plurima laude dignissimus nisi liberalior Bacchus cui erat plus nimio addictus fidei eius labem aspersisset. Quam incolebant vrbem ad decorem multumq; luxum erat erectà, nusquam putem maiorem vilitatem annonæ belli tempore me vidisse, quam hoc loci. Sed & rustici Bohemiæ totius tam dicebantur tunc Cæsari obsequentes & subditi, vt milites vltro citroq; comeantes pagis exciperent humaniter & làutè tractarent, imo abeuntibus ducatum ad tempus horæ vnius alteriusq; per expeditiora itinera

præsta-

præſtarent; Horum ego ipſe ductu ad Dominum Colonellum Guilielmum Gall Ibernum perveni, atq; cum eo natalem Domini celebravi, inde poſtea Pragam ad Dominum Colonellum Iacobum Gordon deductus ſum. Eſt Praga civitas Auguſta & Bohemiæ totius Metropolis, quadripartito diviſa, in parvam (vt vocant) partem, in Antiquam, Novam & Iudæorum civitatem. Saluberrimo loco ſita eſt, à Molda alluitur, quæ ſe non procul à Pragâ in Albim exonerat. Monti vicino incubat arx viſendæ pulchritudinis, ex qua totus vrbis ambitus qua latè patet circumſpici commodè poteſt: Ex vna arcis parte porticus ſpectatur lõga & ampla per quam Reges ad templum vicinũ commeare conſueverunt, ex altera pons ligneus per quem in hortum datur tranſitus; in ſubiectis ponti foveis ferarum viſitur multitudo magno oculorum ludibrio. Vidi Pragæ locum in quo S. Wenceslaus Bohemorum Rex

Draho-

Drahomiræ matris ſuæ fraudibus & cō-ſilijs pro iuſtitia & fide mortem oppe-tijt; ſed & veſtigia extant vbi mater vin-dictæ divinæ experta eſt iuſtiſſimam vl-tionē, quam terra dehiſcens vivam cum anima ſimul & corpore abripuit. Hinc quarto Ianuarij die diſceſſi vt ſequens Caput oſtendet.

CAPVT VII.

Commigratio mea ad Butlerum.

SOl medium cœli attigerat cum Pra-ga exij, comitabar Polonum Nobi-lem, qui levandis viæ moleſtijs iumen-to me iuvit. Cum Ieclitum attigimus lautè quidem ab hoſpite ſumus habiti, ſed ob aquæ penuriam multum perpeſ-ſi ſumus, quoniam omnes fontes aſper-rimo frigore congelaverant. Fertilio-rem Bohemiam nunquam aliàs vidi, maxime poſt duplicem ab hoſte & Cæ-ſare direptionem, & indigenarum par-tim gladio partim huc diſſipationem:

omnis

omnis campus; qua latè oculus ſpectare poterat frumentis virebat. Eſt cæteroqui etiam Bohemia ligni ferax, alit ferarum tam Sylveſtrium quam domeſticarum & piſcium quoq; indicibilem quantitatem. Hinc bene paſti Egram perreximus, civitatem non quidem vſque adeo vaſtam, ſed abunde munitam. Prandium ſumpſimus apud Vice-Colonellum eo in cōclavi in quo poſtea Wallenſteinicæ proditionis complices meritas proditoribus pœnas miſeranda morte luerunt; de quo ſuo loco. Inde Cronacum deductus ſum. Eſt vero Cronach munitio ad Epiſcopum Bambergenſem ſpectans, non tam ſitu loci, quam animoſa Incolarum fortitudine munita, qui iterum ac ſæpius obſeſſi, à præcipuis Suedicæ militiæ Ducibus, expugnari nunquam nec minis nec pollicitationibus potuere, quantumvis ipſe Dux Wimarius (quantus miles quis non novit?) alijque Duces optimi eam potentibus armis infeſtarent.

rent. Gerunt istic pro Pallijs mulieres lineam penulam candidam vario Limbo illustratam, qua circum humerum vtrumq; amictæ solennioribus Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini diebus sacro epulo accumbunt, maiori fere numero quàm devotione, pauci enim debitam Sacramento reverentiam religionemq; præstant, vt primum etenim sacro pasti ferculo pleriq; templo exeunt, non secus ac si prophanam mensam delibassent. Præfectus arcis quæ vrbi finitima est aliquantum quàm vrbs munitior ad prandium nos accersivit & honorifice iuxta & humaniter habuit; inter pocula varij de rebus bellicis discursus sunt habiti, inter alia ad Ecclesiastica beneficia devoluti sumus, intelleximusq; non sine admiratione, nonnulla beneficia esse quæ quotannis decẽ imo viginti Imperialium millia beneficiata præstent. Hic gratijs de more Domino loci factis, Neostadium contendimus iter, ac varijs oppidis transitis Fuldam

tandem attigimus. Civitas hæc Abbati (qui Romani Imperij est Princeps) ſubditur. Tota illa circum patria multa premebatur fame, non tantum à militum variè infeſtantium hoſtili amicoq; incurſu vaſtata, ſed & à gliribus campeſtribus, qui ſegeti magno erant incommodo depopulabatur, qui magnam fruměti vim ſubterraneis ſpecubus ſub tempus meſſis congeſſerant quo victum in futuram hyemem parabant; ruſtici ſæpius terram effodientes, integros modios reperiebant. Aſſchaffenburgum poſtea perreximus. Civitas hæc Electori & Archiepiſcopo Moguntino paret, eam tenebat tunc Marſchallus campi Mansfeldius cum triginta militum ſelectorum millibus, erat verò illic tanta victus penuria, vt etiam perſonæ Eccleſiaſticæ eſuriali tempore vetitiſq; diebus ad eſum carnium compellerentur, quas tamen perraro obtinebant. Vidimus hic arcem Epiſcopalem regio faſtu, & magnificentia exſtru-

ctam;

ctam; Hæc quatuor in quadrangulo turres cõplectebatur, mira ad Simmetriam Architectonicam elegantia erectas; cætera arx nobilissimis conclavibus ornata nitebat. Non hîc tangam dolia portentosæ amplitudinis vinó optimo plena, quorum quædam quadraginta & quinquaginta plaustrorum erant capacia; Hæc passim apud Germanos obvia sunt, nec apud illos multam pariunt admirationem. Wertham dehinc abij ac postea vario viarum anfractu Heilbrunnam civitatem omni munitionis & comeatus genere instructissimam. In eius foro exposita erant quadraginta quatuor stupendæ magnitudinis tormenta bellica, decemq; vexilla militaria nuper Gallis Philippoburgi erepta. Ad hanc vrbem Sueci integro anno laborarunt, vt eam sibi subderent, quam Cæsariani quatuor horarum spacio sibi subiecerunt; tantum est militem habere fidelem & ad servitia Domini sui promptum. Hic operam

ſuam ante alios probavit Dominus Iacobus Gordon Capitaneus ex nobiliſſima Scotorum proſapia oriundus qui manipulum Equo pedeſtrium militum tunc temporis ducebat. Nobili illi familiæ aqud omnem poſteritatem laudi ducetur, quod inter præcipuos etiam Imperij ſtatus Cæſari fideliſſime & conſtanter ſerviverit: Ex eadem propagine tunc erat vnus Colonellus, Vice Colonelli ſeu locum tenentes duo; præfectus vigiliarum vnus & hic Capitaneus cuius laus omni retro poſteritati erit memoranda. Hinc Luneburgum commigravi, vbi Vice Generalis Gallas arcem tenebat exacto inde Duce potentiſſimo, eo quod in Cæſarem contra omne ius faſq; arma ſumpſiſſet. Inde movi Stuckardiam Metropolim Ducatus Wirtenbergenſis, vbi tunc forte hyberna habebat Ferdinandus III. Rex Bohemiæ & Hungariæ potentiſſimus, atque incolebat arcem Ducis Wirtenbergici ſumptuoſiſſimè exſtructam excultamque:

que: Hic vbi certis nuncijs cognovi Butlerum meum iam mortuum atq; in Svvarrindorp civitatẽ omni instructu bellico refertissimam esse delatum, eò igitur cursum itineris mei direxi: vbi appuli Dictum ducem meũ loculo plumbeo obseratum vidi, simulq; de mortis genere inquirens intellexi pientissime omnibus sacris munitum ipsum decessisse. Dolui vt debui vehementer, virum tantis animis pro Cæsare & fide orthodoxa inclitum, non potuisse obniti mortis decretis: Erat is vtiq; vita multò longiore dignissimus. Interea tamen dum vixit sibi neutiquam defuit; nam vt famam æternitati, animam cœlo assereret divitias quas æquissimo Marte mascula sua manu inter hostes acquisierat in pia Legata ita fere distribuit. Vicena Imperialium millia Patribus Franciscanis quos strictæ observantiæ appellamus legavit, hi Pragæ studijs literarum excoluntur, instruunturque in eum finem vt quandoq; in Iberniam

Scotiamve redeant, ſeque Catholicis confirmandis in fide, vel Hæreticis reducendis ad eandem ſedulo impendant. Ducentos Imperiales Domui profeſſæ cui præerat R. P. Guilielmus Lamormainne Societatis IESV Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Confeſſarius per modum Eleemoſynæ transſcripſit, R. P. Petro Vadingo Soc. IESV Iberno & pro tempore Vniverſitatis Pragenſis Cancellario tria Imperialium millia dari voluit, quas ipſe Pauperibus Ibernis illuc comeantibus elargiretur P. Patritio Franciſcano ſtrictam obſervantiam profeſſo quingentos Imperiales, ſicut & alteri cuidã Sacerdoti ſimiliter Iberno totidem. Legaverat & alijs partim ſanguine partim amicitia iunctis, ſcilicet ſorori ſuæ ſex Imperialium millia, Vicetribuno ſuo Walthero Deveroux mille Imperiales, alijſq; pro affectu & merito. Sed cum hæc ad iter noſter exigendum parum attineant, alijs exequenda relinquo, ego in inſtituto itinere

nere meo progredior. Cum optimo meo Domino Iacobo Butlero viro Cæsari gratiſſimo & fidiſſimo non ſine magno dolore pie parentaſſem, ad arcem Wiſenſteigenſem Comiti de Holſtein ſubditam properavi. Detinebatur in ea Waltherus Deveroux globulo plumbeo ad Nortlingenſe prælium ſecundũ crus vulneratus, vna cum mœſtiſſima vidua Butleriana, quæ defuncti ſui mariti funus paulo poſt in Bohemiam cum ſalvo militum conductu ſecuta eſt, ac illic ipſi ſumptuoſiſſimas fecit exequias.

CAPVT VIII.

Butleri ante obitum Heroica facta & egregia erga Cæſarem fides. Maximè vero quæ Francofurti ad Oderam contigêre.

POſtquam ex Legione Iacobi Butleri Illuſtriſſimus Tyllius ſecum abduxit duos militum manipulos, reliqui

Francofurti ad Oderam cum Vicetribuno Herberstein relicti, famis & inediæ perpessi sunt plurimum: Quibus vt opportunè succurreret Iacobus, comitatus vigiliarum Præfecto ad Tyllium, qui tunc Magdeburgum obsidebat, profectus est, monuitq; de periculis, simulq; rogavit vt & vrbi & militi annona succurreretur: Interea Gustavus Adolphus Suecorum Rex exercitum suum Francofurto admovet, cum pridie opportunè & dispositione plane divina Mareschallus de Tieffenbach ingressus esset, reperissetq; in eo præsidio Vice Mareschallum Thambrougk militem sanè meliori fortuna dignissimum, Colonellos Behem & Fernamont, quorum exercitus excrescebat ad decem prope millia. Qui vt viderunt Suecorum Regem applicare vrbi vires suas, coniunctis animis per vrbem circumquaq; diuiserunt militem suum, in qua Partitione Walthero Butler cum legione sua vltima seu extima contigit pars, eaque admo-

admodum infirma; cui malo vt prouideret, terram in minores aggeres eruit, post quos ex insidijs abdidit Sclopetarios, simulque sub vesperam Colonellum Thambrougk accessit, explicauitq; periculum intercipiendæ vrbis, nisi illa nocte, antequam Suecus sese effossa terra magis muniret, in ipsum impetum facerent & virili eruptione ab obsidione deterrerent: Infamiam præterea quam ex deditione accepturi essent apertissimè pluribus exposuit; Petijt quoq; eam sibi expeditionem committi cum quinque Equitum, totidemque cataphractorum cohortibus, sancte promittens se cum bono DEO certo hostem externis internisq; iam ceptis operibus expulsurum. Quæ quidem omnia audita sunt, sed quoniam ipse externus erat cui ea laus ab alijs inuidebatur, negarunt id fieri vlla ratione posse: interim tamen alteri eam curam committunt, qui vix incautior aggressus hostem globulo plumbeo trajcitur,

milites verò ipſi comites à Guſtauianis circumuenti potiſſimam partem perierunt pauculis exceptis qui palabundi cladis nuncij in vrbem redierunt. Cæſareani in vrbe præſidiarij omni metu expertes ſecurè tunc epulabantur cum Waltherus Butler ſeſe hoſti opponere omni conatu annitebatur: nec minori audacia aſſultus dabant Suecorũ agmina, quoad tandem tantos animos in Butleriano milite vix capientes, inquirunt; quis Ducum eum locum tam pertinaciter defenderet, cumque Scotos Ibernoſq; intellexerunt, ſe ſuaſq; machinationes aliò amouerunt. Non ſtetit tamen hîc oppugnatio, ſub quartam enim pomeridianam, cum hoſtis noſtros vino incaluiſſe plurimo audiuiſſet animosè alibi conſcendendo valla maſculos dedit aſſultus. aderant iſti loco tum forte duæ Legiones, quæ cũ reſiſtendo pares hoſti non eſſent, ad Butleri opera dèſerta veteri ſtatione receſſere: Quos hoſtes ne an amicos eſſe

cum

cum ignoraret Butler, atq; à Tribuno Wadt Scoto doceretur, Cæsareanos illos esse, imperauit etiam in ipsos eiaculari missoq; in eorum succursum dicto Tribuno cum manipulo Sclopetariorum, domitos animos ad pugnam reuocauit ac hostis impetum non sine aduersariorũ sanguine viriliter repressit. Sed mox refectis tantisper viribus Suedicę Legiones contra nostros denuo insurrexere, maioribusq; animis pugnantes supradictum Wadium Tribunum longiori vita dignissimum melioremq; fortunam merentem interemerunt: Strato militum ductore in paucis egregio concidere multorum animi, & cum duabus horis fortissime restitissent, tandem aduersarijs viribus cedere coacti sunt. His in assultibus VValtherus ex suis præter iam sępius nominatũ VVadt desiderauit Tribunos Barnabam Patrich Ibernum, Dermitium Carthij Ibernum, Hugonium Onel Ibernum, Locumtenentes Grase Ibernum Thomam

mam Broone Ibernum & Thomam Butler vexilliferum, ipſeque VValtherus grauiter ictus vix vitam ab inſtante ferociter hoſte aſſerere potuit. Fugatis in hunc modum Cæſarianis, ad prædas itum eſt, repereruntq; hoſtes decem in foroplauſtra argento facto infectoque comeatu etiam & bellico apparatu onuſta, quæ omnia vna cum ciuium bonis intra paucas horas Suedicus exercitus deprædatus eſt.

His peractis Guſtavus cum ad tympani ſonum deprædatorem militem à præda inhiberi iuſſiſſet, & receptui ſub pœna capitis clangore buccinæ cantari ad Auſtralem portam lautam inſtruxit cœnam, cui intereſſe voluit VValtherum ex vulnere ſaucium, qui cum pedibus ob ſanguinis profuſi copiam ægre poſſet, in haſtilia more militari ſublatus ad Regem eſt deportatus, vix venerat ſub conſpectum Regis, ſtricto mucrone rogatus eſt ab ipſomet Suecorum Rege, Iuniorne eſſet an Senior Butlerus, qui

cum

cum se Iuniorem asseruisset, superi te seruant, miles mascule, ait Rex, quod te seniorem esse noluerunt, qui si fuisset hæc tibi obtigisset fortuna, vt Regia hac dextra cecidisses, humaniter dehinc acceptum regiorum medicorum curę sollicitè commisit. Interim qui facta hac clade ex Cæsarianis copijs partim nando partim curriculo pontem transmittendo euaserant, magnam Glockoviã petierunt, vnde Herberstein ad Cæsarem cursores misit, qui culpam cladis & captæ vrbis VValthero impingerent, atque hostem ad ipsius stationem irrupisse comminiscerentur. Non latuit illa VValtheri accusatio Iacobum Butlerum, qui ab obsidione Magdeburgensi redux exprobratorias ad VValtherum quam mox scripsit, totam labem & vitium ciuitatis vi expugnatæ ipsi aggerens, sciret itaq; (ait) VValthero respondendum esse Cæsari pro tam infami clade. Non tulit iniuriam virilis VValtheri animus sed arreptis codicillis traductorijs

ctorijs Gustavo legendas exhibuit, qui simul ac luculentum VValtherianę fortitudinis testimonium expediri iussit, quod & consignari voluit omnium Generalium sigillo manuq; propria subscribi. In eo testabatur omnem culpam non in virum vigilem, sed in commessatores nimium in tanto periculo securos esse deriuandam, qui si cum VValthero pugnassent strenuè nunquam se de vlteriore impetu cogitaturum fuisse. Quam hostis attestationem Viennam ipse postea VValtherus ad Imperatorem detulit. Sed & Francofordiani ad Oderam paulo post libellum typis cudi & evulgari fecerunt, quem de calamitatibus Francofurtensium inscripsere, in quo immortales Butlero in hâc obsidione laudes adscribunt; memorant verò nullis vnquam sæculis delendam ignaviam Cæsariani militis, quorum negligentia dum ignes festos S. Ioanni Baptistæ passim excitant, ipsam urbem tam nobilem tam vastam vno

rogo

rogo Vulcano commiſerint depopulandam.

Poſt ſex menſium captiuitatē VValtherus tandem vincula mille Imperialium litro redemit. Mouebat tum forte poſt Lipſiacam ſtragem exercitus noſter per Luſatiam in Sileſiam, ad quem Butlerus noſter curſum direxit, ac Mareſcallum Tieffenbach cōueniens ſummo cum honore ac raro fauore ab eo eſt receptus. Hîc Colonellum Behem qui potiſſimus fuerat Butleri apud Cæſarem diffamator, auctoritate Tieffenbachij adegit ſcripto reuocare, quæ cōtra VValtherum in Aula Imperatoris temerè effuderat, in quo VValtherum egiſſe quod maſculum militem addecet, aſſeuerat.

Fama rite aſſerta VValtherus obtenta à Generalibus venia in Poloniam Varſariam profectus eſt, ſuiſq; impenſis centum Equo-pedeſtrium ſelectorum militum collegit, vt in Sileſiam eadem qua venerat via reduceret: In hoc itine-

itinere non modicum periculum à rusticis adijt, qui se in Dominio magni Ducis Svvofquitz ad trecentos collegerant, horisque matutinis dubio ad huc lumine in VValtherianos mouerant vt omnes sternerent. Sed tempore fraudem aduertens Sagacissimus ductor fabam in suum suorumq; caput cusam, in authorum retudit verticem. Inde Vratislauiam abijt, semper infesta rusticis itinera obseruans, quoad tandē in Tessinensi Ducatu in VValachiæ confinibus hyberna se obtinuisse certis rumoribus audiuit. Erant itinera per id tempus periculis plena, viæq; ad dictum locum impeditæ, longæ, & asperæ, eundum tamen illuc fuit, quoad Tessinium Metropolim Patriæ illius attigit. Quæ istic Dominabatur Princeps vidua oppidum Schvvartz Watter Walthero assignauit, adiacet illud Fluvio Weissel qui è montibus Wallagiæ erumpit, & per Poloniam means, Cracoviam alluit. Hic vidimus è terra effodi Salem
ad

ad ſaxorum ſimilitudinem, fruſtra ſæpe ſeptem aut octo pedes longitudine, latitudine tres quatuorve, profunditate duos aut tres excedunt. Placuit imprimis induſtria eximendi tantum pondus ex profundiſſimis cauernis. ratio vero talis eſt. Exſtruunt ad os antri, ingentem rotæ vaſtiſſimæ machinam, quæ à Camelo circumagitur, ex rota demittitur attolliturq; funis, in cuius ſummitate Vncinus, cuius adminiculo immania Saxa quibuſdam quaſi brachijs prehenſa educuntur. Hic Sal antequam aërem ſentit leuiſſimus eſt, quem manu ſola vir non admodum fortis ſine negotio leuaret, vt primum vero extra cauernam aërem contingit, tantum induit eueſtigio pondus vt vix pluſculi leuando tractandoque ſufficiant. Hæc ſalis immania fruſta, in partes minutiores ſerra diſſecant, tum in mortario pro domeſtico vſu comminuunt: ex omni ſale hic dicitur optimus, eoq; vtuntur Sileſij, Wallachæ, Bohemi, Hungari.

gari, Austriaci, Croatæ, Morawi, Sclauones, Poloni, Podullini, aliæque circum nationes.

Vix Waltherus noster pactus erat cũ incolis loci pecuniam pro hybernis militum soluendis, cum à Wallensteinio sine mora diu noctuq; properandi Saganum, aduenit imperium. Est Saganum vrbs in Lusatiæ confinijs sita spectans ad ipsum Wallensteinium, quam cum hostes impetituri videbãtur, Wallensteinius fideliori quam Walthero committi haud posse putauit, ideoque nil cunctatus Waltherus Wallensteinij decretis obsecundare, opinione hostiũ citius adfuit, eosq; ex insperato adortus fudit fugavitque, ac immanem prædæ vim obtinuit, cumq; illic trimestri substitisset in Bohemiam postea ac Lymburgum profectus est, inde Pilsam ad Wallensteinium abijt, qui eum ad obsidendam Pragam abduxit, eâ feliciter recuperata, hostibus inermibus excedere iussis sexaginta millibus optimorum mi-

rum militum totam Bohemiam perpurgauit. His ita compoſitis Egram cum octo cohortibus Equitum deſtinatur Waltherus, qui irruens in hoſtem magnam illic ſtragem edidit, cui duodecim vexilla militaria forti pugna eripuit, ideoque mirum quantam gratiam à Wallenſteinio inierit, ita vt in compẽſam comitatum Iegerndorff vna cum pertinentibus pro hybernis ſuis acceperit. Hic dum commoratur diutius matrimonio ſibi aſſociat perilluſtrem Dominam Comitiſſam de Phondona. Quanta porro Waltherus noſter Cæſari obſequia præſtiterit in varijs ijsq; periculoſiſſimis occaſionibus dici vix poteſt, exequentur cæteras militis egregij laudes alij qui ex inſtituto Butlerum commendandum ſuſcepere: hoc vnum addo omnibus poſt nos ſæculis memorandum, quod ad Nortlingam coram Sereniſſimo Hungariæ & Bohemiæ Rege, & Cardinali Infante viginti quatuor horis continenter ſine intermiſſione

fortiſſime præliatus ſit, adeo vt vicetribunum ſuum cum Præfecto vigilijs prælio amiſerit. Nec tamen hoſti pedem vnum ceſſerit, quoad Hiſpani (qui ſe verè viros & magnos milites eo in conflictu præſtiterunt) cum Croatis in ſuccurſum venirent. Quanta hic ſanguinis vtrobique profluvies, facile eſt prudenti cogitare, dum audit eodem prælio ſedecim millia eodem die quæ fuit decima ſexta Auguſti Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti in loco conflictus occubuiſſe. Ab hoc conflictu miſſus eſt Waltherus cum octo Legionibus ad obſidendam ciuitatem Auracenſem, cui fortiſſima adiacebat arx Duci Wirtenbergenſi patens, quam feliciter non tamen ſine ſuorum militum iactura aliqua tandem obtinuit, & prædæ militum, cum vi cepiſſet, reliquit. Tandem poſt varia oppida & Caſtella recuperata vir ſempiterna memoria digniſſimus, Cæſari fidiſſimus ad Svvarendorp vitam placidiſſime, omnibus

prius

prius sacris ritu Catholico munitus, finiuit.

CAPVT IX.

De Successibus Alberti VVallenstein Ducis Fridlandiæ.

ALbertus Wallenstein Nobilis Bohemus, hæc ad altissimos dignitatis suæ gradus duxit initia. Cum sub exordia belli Bohemici turbæ indies magis magisque gliscerent, huc hominum perfidissimorum progressa est audacia, vt iam se rerum dominos suprema potestate potiri crederent, eoq; insolentiæ procederent, vt iam in Cæsareum conclaue multa obrenta copia latus armati (quod nefas semper fuerat) tumultuosè irrumperent. Accidit verò vt aliquando Comes de Turn, Comitatus pluribus sui sceleris complicibus, Sacrosancta Imperatoris Auira scelerati ssimo pede violaret, nec quidquã Cæsareum vultum veritus nescio quæ

iniqua à Ferdinando II. impetuosè postularet, & ni votis Cæſar annueret enſis capulum dextra feriens mucronem minitaretur; adfuit his in anguſtijs conſtituto Cæſari opportunè Wallenſtein, cum manipulo Cataphractiorum, quē in ſeruitia Imperatoris ex ſelectiſſima Bohemiæ pube ſuis impenſis collegerat, vt ſe ſuamq; turmam oſtentaret Cæſariſq; beneuolentiam acquireret; cum ecce tibi nefandiſſimi proditores Equorum armorumq; ſonitu perculſi in genua procidunt, & veniam delicti rogant opinantes nequitiæ ſuę conſilia eſſe detecta, quos quidem tunc Cæſar more ſuo humaniſſimè complectitur bonisq; animis eſſe iubens dimittit indemnes. Miratur interim prouidentiſſimi Numinis vigilem curam, quod ſe omni ope deſtitutum tam mirabili & nuſquam ſperato medio Capitis periculo exemiſſet. Wallenſteinio quoq; quantumvis facti ſui neſcio, legionem integram in campum ducendam committit.

mittit. Cum vero ſuccedente tempore fides viri in pluribus Cæſari totoq; Imperio probaretur vlterius promotus eſt, & plurium Legionum ductor renunciatus. Creuerunt porro cum diuitiis honores, ita vt paſſim præ cæteris celebraretur: vnde etiam accidit, vt viduam à magno quodam Principe Hungaro à morte relictam matrimonio ſibi iunxerit; quæ non multo poſt, fatis ita depoſcentibus, vita ceſſit, & cum ſine liberis eſſet, dictum Wallenſtein maritũ ſuum ex aſſe hæredẽ omnium tam mobilium quam immobilium bonorum inſtituit. Habebat tunc forte Perilluſtris Dominus Comes ab Harrach, cuius in aulâ Cæſaris potiſſima erat exiſtimatio, filiam nobilem, quam coniugem ſibi poſtulavit Wallenſteinius, nec multo poſt impetravit. Erat hæc Domina pudiciſſimæ vitæ & famæ, nec minus in DEVM diuoſq; cœlites religioſa quam omnibus fortunæ naturæque bonis locuples. Creuit interea cum ætate Wal-

lensteinio animus & prudentia adeò vsq; vt communibus Principum Electorum suffragijs absolutam in omnem exercitum Cæsareanum obtinuerit potestatem. Ea in dignitate talem se gessit, vt non tantum privatorum quorundam Principum odia in domũ Austriacam erumpentia oppresserit, sed & Daniæ Regem eique confœderatos ad paciscendum cum Cæsare æquissimis conditionibus compulerit; Quæ res ipsi Fridlandiæ Ducatum, libertatemq; cudendi auream argenteamq; monetam peperit: Sed & tam felices successus hominem faustuosum in pudendam & obscenam extulere superbiam, & quoniam studia rei militaris ipso Duce vigebant, omnes prope Imperij ordines sub ipso bellicæ scientiæ rudiméta addiscere & stipendia facere appetebant, cum verò indies honores in fastuosam ipsum superbiam magis magisq; eleuarent, tantum sibi in Imperio conflavit odium, vt vix vlli Principum charus esset; sed

ſet, ſed & à vulgo deſpectui haberetur: Ipſe nihilominus omni invidia ſuperior, hoc vnum agebat vt multorum ſibi Principum animos, vel occultis machinationibus vel apertis armis ſubderet.

Hoc tempore clandeſtinis procurationibus Gallorum, & Nobilium Proteſtantium (quos vocant) per Germaniam, excitatur ad arma contra Cæſarem ſuſcipienda Suecorum Rex Guſtavus Adolphus, qui ſe reſtauratorem Evangelicæ libertatis, & magnum Generalem ſeu Ducem Regum Brittanniæ & Franciæ nuncupabat: vnde in imperio novæ indies turbæ excitabantur; Quibus componendis Cæſar Comitia Ratisponam indixit, ad quæ omnium ordinum & prouinciarum magnates convenerunt, qui inter prima antequam ad vllas tractationes accederent Wallenſteinium Dominio militari eximi voluerunt, varias contra ipſum querimonias adducentes. Quam ea res Cæſari

insperata fuerit facile est cuivis prudenti cogitare, eo maxime tempore quo imperium amplius periclitabatur, vt tamen potiora mala præcaveret Principibusq; Imperij obsequeretur annuit ipsorum votis, Wallensteiniumq; militari potestate exuit. Quam impedita ex hoc facto rerum bellicarũ orta fuerit confusio non attinet pluribus evulgare, ipsa experientia mox docuit: Qui enim ipsius loco exercitum ducere debebant, vel dexteritatem in providendo militi comeatum non habebant vel peritia rei militaris destituebantur, vel sufficientes parum erant tam diversis legionibus hinc inde procul dispersis imperia distribuere. Vnic⁹ tũc erat Tyllius, in quem omnium oculi convertebantur, quem Principes isti muneri præfici posse abunde idoneum credebant, erat Tyllius vir quidem sagax, & sufficienti peritia militari instructus multis eo vsque victorijs probatus, qui vna cum armis, raro militum exemplo, pie-
tatem

tatem & religionem in DEVM coniungebat, ipſum tamen deſtituebat auctoritas illa, quam Wallenſteinio fecerat abſolutum Imperium quod Imperator ipſi commiſerat, accedebat quod idem Tyllius duos exercitus Cæſaris ſcilicet & Ligæ ducere, & vtrobiq; providere, ob incidẽtes in ſingula prope momẽta difficultates ægrè poſſet, & quod caput erat omnium; nil ipſe pene audebat aggredi, quod non prius ad Cæſarẽ aut Ligæ confœderatos Principes delatum eſſet, vbi dum conſultabatur diutius, elabebantur optimę hoſtem cędendi occaſiones antequam in conſilio bellico quidquam definiretur, Suecuſq; de die in diem magnis paſſibus promovebat: adeo vſq; vt Imperator infirmo & iam multis bellis fracto Tyllio ſero tandem coactus fuerit Wallenſteiniũ denuo in nuper ereptas dignitates bellicas ſubſtituere. Hîc Wallenſtein probe videns afflictum ac prope deſperatum imperij ſtatum vafre excuſavit laborum moleſtiarum-

ſtiarumque pondus dictitans, ad quietem ſe animum appuliſſe, male ſe domi in toga quam belli in ſago Imperatori ſubſervire (vovebat interim animo, quia irrogatam ſibi iniuriam, & ereptæ poteſtatis ignominiam alto conditam pectore, vel hac ratione vindicare poſſet) Facile erat augurari Cæſari, quid Wallenſteinium torqueret, itaq; vt hominem moroſum pacaret Fridlandiæ Ducatum donavit, tum iterum tentavit, ſi blandiori alloquio vel tunc temporis expugnari poſſet viri in rebus bellicis dexteri animus. Annuit tunc quidem ſed ægrè (vt Cæſari gratiam obtuliſſe, non à Cæſare accepiſſe cenſeretur) Fridlandiæ Dux, ſub ea conditione, ſi Generaliſſimus cum abſoluta poteſtate, ſine dependentia ab vllo Germanorum Principum præeſſe iuberetur, ita vt penes ſe eſſet ius belli paciſque condendæ, quod nec ipſe Cæſar, quantumvis vellet, infringeret. Quid hîc faceret optimus Imperator hoſte vndique

premen-

premente? vt hominem sufficientem hostilibus successibus opponeret, omnibus cõditionibus subscripsit, eumque ad Comitia vna cum al js Imperij Principibus evocauit, vt illic omnium Principum suffragatione potestatem acciperet, Wallensteinius autẽ renuens decretum auctoritate Principum annuentiũ Calcussis obtinere, haud comparuit, sed ad Carolina Balnea valetudini curandæ abijt vbi mẽsem integrum exegit. Dicta Balnea à Carolo V. eorum inventore nomẽ habent, quinque milliaria Egra dissident in confinijs Saxonum. Duplex illic spectatur vena aquis omnino pugnantibus manans, hinc enim calida, inde frigida erumpit. Ex stillicidio calidæ alicubi defluente nascitur Lapis, qui ad vlcera Equorum curanda valet plurimum.

Exacto mense optimè lotus Wallenstein ducentis militum millibus abunde stipatus in campum progressus est, Pilsamq; primo aggressus de ea felici-

bus

bus auſpicijs triumphavit: Mox copias Pragæ admouit, quam non ita pridem Saxo Cæſari eripuerat, cumque eam premeret acrius, Præfectus Saxonicarum copiarum de compoſitione & pace inter Cæſarem & Ducem ſuum mouit ſermones, ſed cum parum promouiſſet, ad avertendum à Cæſaris fide VVallenſteinium vna cum Comite de Turn Seniori convertit dolos. Et hinc ducta ſunt initia VVallenſteinianę perfidiæ, quæ paulo poſt in propriam crevere perniciem, & in publicum non ſine fœdiſſima nota erupere. Erat forte tunc temporis non nemo, neſcio quis, Poetaſter, aut ſiderum inſpex, qui ex aſtris fabulas comminiſcebatur qui & VVallenſteinio Bohemiæ Sceptrum ex aëre confictum addicebat, qua fortuna homo vaniſſimus elatior pro corona tali quidvis paciſcebatur, cum videret ſe id iure præſtare neutiquam poſſe, iniuria conatus eſt, ac primo Regni æmulum Suecorum Regem è medio tollen-

dum

dum esse putavit, quo sublato duces dein aggressus est, eosq; sibi devincere, Cæsari exosos reddere contendit. In quem finem Colonello Ilo auctor fuit, vt à Cæsare pro præstitis obsequijs Comitis postularet dignitatem & nomen, quod facilè fuit iam inclinato persuadere: Ne verò Cæsar eam ipsi dignitatē annueret, occultis egit nuncijs, caussans si eam huic concederet, fore vt plures alij qui æquè ac amplius imperio fidi fuerant, eandem iure quasi suo exigerent. Quod cum ipse Cæsar Reipub. haud expedire intelligeret VVallensteinij consilijs est obsecutus, Colonellumq; Ilo ad patientiam in proximiora tempora est adhortatus. Data interea inter epulas opportunitate, quid responsi acceperit rogat ex Ilo quasi omnium ignarus VVallenstein, cui ille negativam sibi obtigisse asseruit. Tunc VVallenstein simulanter excandescens Cæsari, ait, Hæccine sincera meruere seruitia nostra, quæ Cæsari tanto tem-

pore

pore fideliſſime præſtitimus, vt nec mihi Generaliſſimo iure meo poſtulanti pro amico gratiam annuat, nec tibi id merenti concedat? Ecquis poſthac Cæſari tam ingrato tam beneficiorum immemori ſtipendia faciat? Quis deinceps fidem ei ſpondeat aut præſtet? Ego quantum quidem ad me ex nunc iuro, me contra Auſtrios facturum quamdiu vitalis ſpiritus hos reget artus, acceſſit VVallenſteinio ſolennia verba preeunti iam pridem Cæſari offenſus Ilo, primaq; iſtic fœdera ſtabiliunt. Itaq; confœderati ſimul cum exercitu contra hoſtem movent, non in hoſtem pugnaturi, ſed Cæſarianas copias fame miſerijſq; perdituri. Hærebat tunc ad Svveiniz VVallenſtein, vnde Cæſareanos Glotzium duci iuſſit, iſtic ex fidelioribus Cęſari ducibus nō occultis ſignis animadvertere, quam iniquum contra Cæſarem conſilium agitaretur, nec tamen audebant palam infidelitatem Fridlandi arguere, quamvis in priuatis colloquijs

quijs multos eosq; infames sererent inter se sermones. Svveinitzij vitam suam innocentissimè reliquit machinationibus Wallensteinij, Regis Daniæ Filius. Hic cum impia in Cæsarem consilia agitarentur, à Suecorum partibus pacta asserturus cum potestate missus erat, sicut & Piccolomini à Wallensteinio, cum vero iniqua (vt videbantur) dicto principi proposita essent, infecta re ad suos reversus est, quæ quidem res Wallensteinium pessime habuit, cogitationesq; omnes in eam rem intendit vt se de optimo Principe (quasi magnam sibi iniuriam intulisset) vindicaret: Demisit ergo vna cum dicto Principe Piccolominium vt eum ad suos conduceret. Cum vero ad rivulum peruenissent ac militari modo Sclopor(ū) exoneratione facta sibi inuicē vale fecissent, interim ex insidijs miles globulū emittit & Daniæ Principē secundum cor transverberat. Hinc quam mox Cæsareani in hostem ruunt, & parta victoria Generalem

militiæ præfectum Comitem de Turn capiunt & ad Wallensteinium ablegant, quem cum retinuisset aliquot dierum spacio, tractassetq; cum eo de proditionis proposito, sine vllis pactis alijs aut litro immunem dimisit. De qua re cum Ducum præcipui stomacharentur ait VVallenstein, quid vultis agam cum insano homine? vtinam Sueci ductorem meliorem nullum haberent facilis nobis foret pugnandi & expugnandi totum orbem terræ ratio, plus ipse nobis proderit inter hostes quam hîc nobiscum in captivitate. A clade hosti illata, pauculos in eodem loco dies substitit VVallensteinius, postea verò cum omnibus copijs in Bohemiam abijt istic hybernaturus, propositumq; suum ad finem deducturus. Statutũ erat tunc omnes Bohemiæ proceres funditus perdere, eorumq; terras ad extremum vsq; minutal vastare, ne qua Cæsari contra se suppetitas ferre possent, in eundem finem immanem pecuniarum vim conflaue-

flaverat, ſperans argenteis hiſce gradibus ad Bohemici regni ſolium conſcendere; ad id delegerat etiam locum commodum (montem album appellant in quo olim Palatinus Comes Fridericus, alieno honore ſibi contra ius faſq; arrogato & proprijs terris exutus eſt) ſed non potuit diu latere Cæſarem tam iniqua machinatio, ad cuius aures cum veniſſet rumor, ſcripto quamprimum inhibuit fidelioribus belli ducibus, ne poſt hac à VVallenſteinio imperia capeſſerent; Hocq; ſcriptum Pragæ primùm innotuit. Accidit vero, cum VVallenſtein totum exercitum convocare propoſuiſſet in dictum montem, vt Comes de Tersky affinis VVallenſteinio, de propalato proditorio propoſito certior factus; ad VVallenſteinium rediret, ipſique proditum negotium inſtituti ſui nunciaret, explicaret etiam quam periculoſæ plenum opus aleæ agitaretur, eo VVallenſteinium adduxit vt omnia tormenta bellica clavis ob-

durari præciperet, Pilſæque hominem ſibi fidum præficeret, qui nullis pactis, pollicitationibus aut rationibus locum illum alteri quam Wallenſteinio traderet; Ipſe verò ſe Egram verſus converteret cum millibus aliquot partim Equitum partim peditum. In hoc Comitatu comprehendebatur legio Waltheri Butleri, quæ iam à Cæſareanis paſſim Wallenſteinianæ factionis eſſe iniquè arguebatur, quam verò id falſo declaravit eventus. Hoc quidem evidens eſt, VVallenſteinium ſæpius conatum eſſe Butlerum in conſilij ſui ſocietatem traducere, ipſiq; pollicitum eſſe ampliſſimas terras & opimas dignitates, ducentaq; Imperialium millia per cambium partim Hamburgi partim Segani deſtinaſſe ad colligendos milites Ibernos in ſua ſervitia fidos. Butlerum tamen ſemper ſuſpectũ habuiſſe tam prolixè propenſum ſibi VVallenſteinij favorem. Quando verò clarius intellexit quo res peſſum vergeret, nunquam conſentire voluiſſe,

voluisse, vt Sacramento Cæsari facto solveretur; Dehinc omnibus viribus annixus est, vt Proditorem hunc à Cæsare adeo elevatum comprehenderet, ac Imperatori pro merito plectendum traderet: cum vero ipse solus sufficiens haud esset tam arduo negotio expediendo in consilium propositi sui adhibuit militem inter paucos fidum Cæsari & plenum masculo animo VValtherum Deveroux tunc temporis turmæ vni præfectum seu Capitaneum, qui suam VValthero operam fidelissimam addixit. Hoc adiutore securus Butler, libenter suam Legionem VVallensteinicis copijs Egram commigrantibus adiunxit.

CAPVT X.

De Amplitudine & Pompâ Fridlandiæ Ducis.

TEr quater & amplius felicem Albertum VVallenstein, si sua felici-

tate rectè vti novisset, vel voluisset potius: Tot enim tamq; præclaris Naturæ, Fortunæ ac DEI donis hic vir auctus erat, vt sibi æqualem ea tempestate vix vsquam reperiret. Accedebat in bello optimè administrando dexteritas, ob quam sibi Cæsaris favorem meruit sanè luculentum: Aderant ipsi divitiæ & pecuniaram vis maxima quæ hodie omnem mundum animat, & principes gubernat vniuersos. De admirandis eius iuxta & spectandis substructionibus nil tangam, ædes loquitur quam Pragæ summo luxu excitavit. Hæc sex ostijs latissimis admittit dimittitq; aduenæs, conclauia in ea Rege digna, aula exterior opulentissimo fastu & laxissimis spacijs, picturarum quoq; artificijs illustris. Inde in ante Cameram (vt vocāt) patet aditus quæ auro tota quanta fulget. Hinc itur ad conclaue VVallenstein curioso plane artificum cultu conspicuum. Ad hoc excubabant semper præter ephebos, quos numerabat

pluscu-

plusculos, vno eodemque omnes habitu opertos, quinquaginta Satellites optime armati, elegantiaque principali vestiti. ad hæc visebantur excubitores in porta aulæ exteriori, in interiori vero quatuor, quibus ius erat introeuntes, vnde essent, quidve postularēt, interrogare. Quin decem denique in eam intendebant curam, vt vicos obirent, caverentq; perstrepentium rixantiumq; molestias, quam enim strepitus cuiuscunq;, vir hic fuerit impatiens, satis loquuntur mutæ etiam chartæ, adeo vt ne passerculos acutius vocem attollentes ferre posset. Aderant etiam ad eius obsequia quotidie sex Barones sex Equestris ordinis viri nobiles præter sexaginta ephebos, qui vt civilem & aulicam vitam erudirentur, à parentibus certatim submittebantur. Non tangam hoc loco Gynecæum nobilitate & numero spectabile, in consortium coniugis adlectum. Cum progrediendum quandoq; erat in publicum, quinqua-

ginta eſſeda, tribus Equorum iugis tra-ćta ad VVallenſteinium ſolum ſpectan-tia comitabantur, præterea quæ aliun-de honoris cauſa accedebant. Plauſtra quæ culinarium apparatum vehebant habebat ſimiliter quinquagena quorū ſingula quatuor Equis vehebantur. Au-licorum Rhedæ vndiq; vitro clauſæ de-cē aderant ſingulas ſex Equi præcede-bant famulitium Equeſtrę quinquagin-ta Equis generoſſiſſimis ſublime porta-batur, quorum quivis ad latus ducebat alium Equum operoſiſſimè inſtratum in vſum ipſiusmet Ducis Fridlandiæ. Stabulabantur eius Equi in vnico equi-li miro cultu fabricato. Præſepia erant marmorea, ad quodvis eorum fons vi-uaciſſimæ & limpidiſſimæ aquæ ſalie-bat pro adaquandis iumentis. Non procul à Palatio hortus amœniſſimus colebatur, aquæductibus & ſtatuis ele-gantiſſimis ornatus, in fine horti Avia-rium cō ſpiciebatur, ex omni avium ge-nere inſtructiſſimum, in eo variæ erant
plantæ

plantæ ac arbores ad nidulandum auibus aptæ, & ne qua forte cauea egrederetur auicula, filo ferreo elegāter composito totus ille ambitus concludebatur. In medio horti erat piſcina nobilis, quam delicatiſſimi piſcium implebant. Menſæ eius lautitia vel inde colligitur, quod eædem mappæ & mantilia nunquam menſam bis ſternerent, niſi optimè prius lotæ, & rectiſſimè compoſitæ. Hanc viuendi & ædificandi rationem vbiuis locorum tenebat. Gidſini enim pallatium erexerat ſimili fere forma, cum equili, vbi etiam media prope ab vrbe leuca locum circumſepſerat in educationem & ſeminarium equorum, in cuius medio turrim ſtatuit quam incolit vigil, qui indies bis ſub diluculum ſcilicet & crepuſculum buccina conuocat ſtabularios ad fricandos pabulandoſque equos. Hoc in equili minimum trecenti ſtabulabantur equi ſumptuoſiſſimi. De Sagantina arce nil memoro, cum imperfectum et-

iam nunc ſit opus. Cæterum ſi mors ipſi vitam prorogaſſet, opus ſtatuiſſet ſeptem mundi miraculis adnumerandum.

Capvt XI.

De morte VVallenſteinij reliquorumq; Proditorum Tertzky, Ilo, Kinsky, & Nyeman Tribuni Equitum.

EGram cuſtodiebant tunc temporis Dominus Ioannes Gordon locum tenens in legione Comitis Terzky, eiuſdemque vigiliarum præfectus Lösle, optimi ambo Cæſarique in paucis fideliſſimi milites: Qui cum multa de proditorio animo Wallenſteinij non obſcuris rumoribus, ſed apertiſſimis indicijs paſſim ferri audiſſent, multũ de veritate rerum exploranda ſolicitabantur. Agebat tunc Wallenſteinius Pilſæ, auidèque aduentum Gallaſſi qui Aldringerum ſecum adducere Fridlando promiſerat, in horas imo momenta operieba-

periebatur; voluebat interim inter ſpem metumq; quid facto opus foret, ſi forte dicti duo militum Duces in fide Cæſaris perſiſterent, & an nihilominus proditorios conceptus effectui dare poſſet. Optimum tandem ratus, alios ſibi interim armorum præfectos, qua auctoritate, qua humanitate, qua etiam promiſſis conciliare atq; in ſuum ſenſum pertrahere. Negotium itaque orditur à Gordono, quem Egrâ Pilſam euocatum perhumaniter accipit, multaq; de ciuitatis ſibi in abſentia ſui Ducis Tertzky creditæ cura munitione, militum fide & fortitudine rogat, eique Legiones aliquas in Sileſiam cum imperio ducendas vltro benignè offert, patientiam interim habeat in tres quatuorue hebdomadas, quo interim tempore neceſſaria ad iter prouideat diſponatque. His ita conſtitutis Egram denuo dimittit. Altero mox diluculo Lôslium cui iam ex amici cuiuſdam litteris de Fridlandi technis aliquid innotuerat

tuerat curriculo ad ſe euocari iuſſit. Lôslius vix tertiam ab vrbe horam abierat, cum ecce tibi Wallenſteinium lectica incubantem habet obuium, in cuius comitatu ducenti pedites & quingenti equites omniaque impedimenta præfecto Butlero ducebantur. Comiter ſalutatum Lôslium primo congreſſu rogat Fridlandus, quid nouorum de hoſte ijs in partibus ſpargeretur? cui cum prolixe reſpondiſſet Lôsle, de ſe quoq; ſuisque machinationibus quid vulgi ſermone ferretur intelligere voluit, hic cum ſe tantum obiter & in genere de offenſo Duci Cæſare audiſſe dixiſſet, ſubiecit Wallenſteinius, itaq; à me diſces in particulari & punctatim vniuerſa, ſimulque retulit quam Cæſaris Cōſiliarij mira in ſuum caput cuderent, eoque iam rem eſſe deductam iniquiſſimis maleuolorum conſilijs, vt à pridem oblata & ægrè acceptata, generalatus dignitate nunc iterum cum ignominia deijceretur: in ſuum v. locum

cum

cum ſubſtituendum Hungariæ Regem Ferdinandum III. Cæſaris filium natu grandiorem, Iuuenem nec ætate, nec viribus, nec conſilio ſatis maturum. Poſt multa tandem in Cęſarem Auſtriacamq; domum multo cum ſtomacho egeſta conuitia, Lôslium Egram præmittit, ſui aduentus & omnium dictorum Gordono nuncium. Lôslius nil cunctatus vt primum Egram attigit, nihil potius ſibi eſſe debere duxit, quam vt Gordonum conueniret, & de omnibus quæ dicta actaque eſſent certiorem redderet, dein vna cum Gordono in occurſum V. Vallenſteinij Egræ iam approximantis iret, humaniterque intra mœnia deduceret; Quæ res Fridlandum maximopere delectauit, eoque minus quod exteri ſeu Scoti ſeu Iberni eſſent de his Ducibus ſicut & de Butlero habuit ſuſpicari: Ideoque humaniſſime in domum ſuam honoris cauſa inuitatis, omnem rerum ſtatum, multa cum exaggeratione iniuriarum à Cæ-

ſare

ſare ſibi illatarum denuo expoſuit, arguens Cæſaream aulam, noxijs Hiſpanorum ſuaſionibus nimium perniciosè regi, hinc ſibi nil cōſultius videri, quam vt ea domus per Germaniam ſtirpitus euellatur, orbiq; vel ſic innoteſcat alios etiam eſſe qui Imperium rectè poſſint adminiſtrare, habere nunc ſe ad manum media, queis tota iſta tragœdia compendio & ſine magno tumultu abſoluatur; Neminem enim vnum eſſe qui ſibi remoram inijcere poſſit vel velit: Hortari proinde omnes vna, & ſingulos ſeorſim, vt ſua poſthac ſequantur iuſſa, & à ſuis partibus fideliter ſtent, ſe quidem haud difficulter reperturum, quo ſingulorum fidem magnificè pro merito remuneretur. Quod ſi tamen quiſquam ipſorum dubitaret ſuas partes ſequi, libenter annuere, vt aliò quo vellet comigraret. Facile erat ex hoc & ſimilibus diſcurſibus arguere, in quem finem res omnis declinaret, diſſimulandum tamen erat, ne qua ante tem-

pus

pus ſine fructu fieret medicina. Quapropter Lôsle ſuo quidem nomine hoc duci reſponſum reddidit. Fateri ſe & iam pridem agnouiſſe quid poſſet Ducis Gratia, maxime apud exteros: ſe quidem ex Scotia in Germaniam commeaſſe nominis ſui amplificandi gratia, ideoque nullius ſtipendia renuere, niſi forte quæ ſoluerentur Regis ſui naturalis impugnandi cauſa. Proinde ſi Sacramento Cęſari dato exſoluatur, ſe cuiuis alteri militaturum fideliſſimè, nec videre ſe quorſum ſub tali Duce arma detrectet, cuius prolixa beneuolentia iam annis pluſculis fuiſſet cognita, ſe igitur quantum ad ſe ſuoſq; iſtic ſocios ſpondere id facturum quod ſibi ſuiſque eſſet glorioſum. Quo quidem reſponſo totum Fridlandi animum ſibi deuincivit. Reddebat tamen ambiguus hîc diſcurſus non parum perplexum Butlerum, & cum ambos comites ab orthodoxà ſciret diſſentire fide, metuebat plurimum vt ſe à Cæſare ad Fridlandum

dum abripi vanis persuasionibus sinerent. Vale itaque accepto omnes simul abierunt attoniti. Cum vero inter ambulandum Fridlandici sermonis incideret mentio, dissimulauit Butlerus animum suum, finxitque se partes Ducis non omnino repudiare, & vt sociorum vicissim exploraret animos, & nunquid Fratres mei, ait, putatis rem optimè Fridlandicis imperijs contra Imperatorem administrandam? quin igitur & nos eius sequamur iussa? Cui fidenter & absque simulatione Gordon: Malim ego quidem gloriosam pro meo Cæsare, cui Sacramento obligatus seruio, oppetere mortem, omnemque quem corpore diffusum circumfero sanguinem fundere, quam datam violare fidē, ei quem à paruulo puero dilexi tenerè, patriaque discedens omnia deserui, vt ipsi tam in prosperis quam aduersis fidum præstarem seruitium, à cuius latere ex quo milito nunquam discessi, nec discedam post-
hac

hac quoad vitalis ſpiritus hos deſeret artus. Vobis integrum eſto quam vultis ſequi factionem: hoc mihi concluſum à qua ſententia nec ipſa me Suadela dimouebit. Hîc Butler tantam in extraneo conſtantiam obſtupeſcens, animum ſuum ſimiliter aperuit, ſimulque educens è pera literas ſibi à Gallaſſo nuper miſſas, quibus militare imperium per Cæſarem Fridlando abrogabatur ob proditoria conſilia non ita pridem detecta. Inter hæc & ſimilia duæ facile elabuntur horæ, cum ecce tibi literæ offeruntur à Franciſco Alberto Saxoniæ Duce ad Fridlandum, quas ipſe Lôslius (quem penes illa tunc erat cura) detulit; legendaſque à Fridlando obtinuit. Summa ſcripti hæc erat. Bernardum Wimarienſem copias ſuas iuxta pacta iam prope coniunxiſſe iamque in certum locum à Wallenſteinio ipſi nominatum progredi cæpiſſe, nil ſe porro dubitare quin Wallenſteinius decem peditum & quatuor equitum millia his

adiuncturus sit. Birckfeldium vero cum quatuor millibus Palatinatum iam esse ingressum, nec nisi duabus Egrâ leucis abesse. Rogare proinde Fridlandum vt sibi centum equites, qui salvum conductũ Egrã ad se prestent, mittat habere n. quæ secreto cum solo Duce tractaret, statuisse autem sub horam nonam matutinam postero mane corã adesse. Lectis literis quidquid Wallensteinius pestilitatis huculque intimo corde abdiderat coram Lôslio euomuit, qui cautè ad omnia respondit quod ad rem videbatur, consilia etiam noua suggessit promouendæ proditioni accommoda. Interea ne momentum cunctatus ad Gordonum se transtulit, cui quam periculosa agitarentur consilia liberè detexit, addens nil quidquam expectandum esse cum de fama propria, ac incolumitate Cæsaris agatur. Butlerum igitur in societatem consultationis accersunt, qui vna statuerunt malo esse potentem medicinam admo-

admouendam etiam vel ſuo Fridlandi admiſto ſanguine. Dehinc de medijs diſſeruerunt, vt totum malum ſimul tolleretur, ne qua truncatum ſolum, pullularet iterum. Prima erat ſententia, in quam omnes iere, eſſe ad proditores ſingulos certos etiam ablegandos milites qui vinctos ſecurè in munitum primo locum poſtea ad Cæſarem abducerent. Mutarunt tamen paulo poſt id conſilij in melius, ſtatueruntque iurati omnes morte plectere. Opportunè autem cecidit vt Baccho tunc fierent ſolennia annua. Gordono igitur impoſitum vt Butlerum ad cænam inuitaret. Hic ſibi ſumeret Fridlandi complices & proditiones Architectos Tersky & Ilo, cui non inuitus paruit Gordonus, & Butlerum ad cœnam rogauit, ad quam iſte ſe condixiſſe præſentibus tunc forte proditoribus aſſeruit, qui ſe quoque conuiuatores vltro obtulere, & ſub veſperam Kinsky & equitum tribunum Nyeman (qui à ſecretis fuerat

in toto hoc proditionis negotio) vna ſecum adduxerunt in arcem, quam inſidebat cum forti præſidio Gordon. Antequam vero ad cœnam conuenirēt, delegere ex fidiſſimis militum paucụlos, quos gloriæ ſocios eſſe commode poſſe putabant. Ex his fuit Robertus Geraldinus vigilijs præfectus in legione Butleriana & VValtherus Deueroux Tribunus quibus ad arcem per poſticum datus eſt aditus, commiſſumque vt ſub finem cœnæ triclinium ingreſſi confoderent quos Cæſari infidos reperiſſent. Edmundus Borck e Capitaneus cum centuria militum iuſſus eſt obire compita, & prouidere ſedulo ne qua tumultuaretur in vrbe. His ita conſtitutis inter ſcyphos in ſanitatem Ducis Saxoniæ tunc cum Cæſare diſſidentis præbibitum eſt, quem hauſtum miratus Butlerus abnuit, negans ſe in ſanitatem hauſturum alterius quam Cæſaris, cui fidem iuratus addixiſſet. Atque hoc modo in pocula ſeu conuiuas potius

tius ortum eſt diſſidium. Interea dicti duo Duces per diuerſa oſtia conuiuij locum ingrediuntur hinc Geraldinus cum ſuis, inde Deveroux cum ſuis ſtrictis vtrimque enſibus ſucclamantes viuat Ferdinandus II. viuat domus Auſtria quantæ ex inſperata hac proditoribus, commotione; ortæ ſint turbæ; facile eſt cogitare, cum alij menſam cum Bellariis ſubuertere; alij ad arma proſilire, alij clamores ciere. Ilo nil cunctandũ ratus cum manibus fideret, ad enſem ex vicino clauo pendulum proruit vt ſe opponeret aduerſariis, ſed fruſtra in ipſo conatu vitam cum gladio ponere compulſus eſt. Inde contra Tertzky actum, qui per varia vulnera mortem admiſit, ſimiliter & alij. Inter has turbas Tribuno Deuoroux dum paſſim cæſim punctimque rem ſtrenue agit, enſis per medium ruptus, & cum contra VVallenſteiniũ adhuc ſibi eundum eſſet, commode reperit hoſtile acutius quod pro gladio deferens, in

domum Proditorum principis non lento gradu festinauit: inter procedendum cum iam propylæum attigissent, vni militum soluitur sclopetum quod in cautius manu versabat, id tamen nil quidquam turbauit in domo. Ingreditur itaque ante omnes iam sæpe nominatus Capitaneus Deueroux cumque parum suspenso gradu perstreperet monetur à famulo ad ostium Ducis excubante vt modeste incedat, ne qua Duci decumbenti molestiam cieret. Cui Deueroux, non esse iam illa tempora, quibus à turbis vacet, nunc perstrependum esse, simulque ostio cubiculi appropinquans obseratum reperit, cumq; clauis quem famulus à cubiculis abduxerat, non esset ad manum, ter summo impetu in ostium pedem illi sit, irrito tunc quidem conatu, itaq; ad auxiliãdum ex militibus suis fortissimum accivit, vna simul incurrens, nec tunc quidem perfregerunt, ad quintum denique impulsum Deueroux solus seram
perru-

perrupit, gradumque in conclaue promouens primo aspectu petijt essetne ipse Imperij & Cæsaris proditor? Sed responsi loco nil tulit nisi labiorum cōmotionem, sine articulata voce. Hic non statim feriendum esse Wallensteinium putauit, sed expectandum potius tantillum, dum se ad Deum conuerteret, signaq; contriti animi ederet, cum vero nil quidquam obtineret, in indusio sicut tunc erat hastili per ilia infixo fidentissimè cōfodit, ex quo ictu Wallensteinius quam mox concidit, animamq; per vulnus emisit. Ita orbis probrum Cæsarisq; infamis proditor iustissima Dei manu vindice scelus suum dignissima morte luit. Cauete Duces eius ingredi vestigia, ne consimili morte pœnas pendatis.

Huius Tragœdiæ Actores seu spectatores potius fuerunt è militibus Butlerianis triginta circiter inter quos duo Scoti, vnus Hispanus reliqui Iberni, qui vna cum Deueroux cadauer mor-

tui tapete obuoluerunt, carrucæque impoſitum, quam mox ad arcem deduxerunt. Nec mora in ſcripta ſeu Cancellariam Fridlandi indagatum eſt, currus aliaque eius bona in tutum locum conuecta. Poſtero mane Butlerus omnes in vrbe Colonellos adijt, eos etiam qui tunc forte pro mœnijs tentoria fixerant & ſtatiua tenebant Wallenſteinijq; noxias ſtrophas, ob quas iuſſu Cæſaris morte multatus fuiſſet pluribus aperuit, omneſque ad fidem Cæſari denuo iurandam ſeruandamque ſerio hortatus eſt, quam illi ſe interiectu corporis ac vitæ præſtituros receperunt. Dein expediuit centum equites ſelectos, qui Franciſco Alberto Saxoni, iuxta pridianas ad Wallenſteinium datas literas comitatum in vrbem præſtarent. Hi nil cunctati repererunt in via quem volebant humaniterq; primo ſalutatum varijs colloquijs ſuſtentarunt. Cum vero propius vrbem acceſſiſſent militum ductor Saxoniæ duci ait. Quid

ſi Tu-

ſi Tuam Celſitudinem Butlerus Viennam Auſtriæ ad Cæſarem captiuum mitteret? ad quæ verba attonitus alter reſpondet, ſe id quidem haud vereri, cum ad Wallenſteinium Legatus iret, à quo ſaluum conductum obtinuiſſet nõ multo ante. Cum vero detectam proditionem ſublatoſq; è medio proditores audiuit, Comiti ſuo mille ducatos fruſtra obtulit, vt ſe remitteret ad ſuos liberum; quod Cæſareus miles negauit fieri poſſe. Inter hæc in vrbem deducitur, & paucis poſt diebus Viennam vna cum totius tragœdiæ decurſu; Ipſeque Butlerus paulo poſt omnibus recte cõſtitutis cum VValthero Deueroux eodem perrexit, Cæſaremque tunc fortè precibus in templo vacantem adijt, cui Cæſar ad primum conſpectum; DEVS conſeruet, & benedicat dilectum nobis caput Butlerum noſtrum. Finitis poſtea ſacris ad ſe domum in ſecretius conclaue inuitauit, vbi pro fidelitate ſibi impenſa collaudatum varijs macta-
 uit

uit præmijs, & primo quidem Archiepiſcopo Viennenſi (qui tunc forte præſens erat) inſignem torquem aureum porrexit, quem Butleri collo cum ampliſſima benedictione nomine Cæſaris imponeret; dein ipſe Imperator numiſma Iconis ſuæ ex puriſſimo auro porrexit, hoc, inquiens, feres in Cæſaris memoriam quem vna cum tota eius domo incolumem ſeruaſti; erit occaſio cum tuam fidem pro merito remunerabimur. Simulq; Comitis titulum impendit, & ſibi à cubiculis poſthac futurum claue aurea oblata renunciauit: & ne nudum titulum ferret multas terras in Bohemiæ regno adiunxit. Dedit quoque alium torquem aureum aliosque honores detulit Capitaneo Deueroux: nec minora præmia Lôsle reſeruata ſunt, cuiuis vero Capitaneo viginti florenorum millia numerata pecunia aſſignata ſunt. Gordon interim ſibi aliquantiſper expectandum ratus ne videretur Cæſari pro terris potius &

bonis

bonis quam gloria & honore ſeruitia præſtitiſſe Egræ ſubſtitit qui tamē poſtea à Cæſare ex Tertzky terris plurimas accepit. Æterna ſane memoria digni ſunt Gordoni qui ſtrenuam ſemper & fideliſſimam Germaniæ operam, toto hoc turbarum tempore pro Cæſaris incolumitate exhibuerunt. Optimus porro Imperator, ne animæ VVallenſteinij & complicum iratus videretur, tria miſſarum millia Viennæ celebrari voluit.

CAPVT XII.

De Elogijs VVallenſteinio à morte varijs in locis pro cuiuſque affectu poſitis.

NOn putaui hoc loco omittenda funebria elogia ſeu ſepulchrales inſcriptiones, quę VVallenſteinio apud varias nationes non ſine affectus cuiuſque teſtimonio in vulgus ſparſæ ſunt: Ex quibus facile patebit quibus VVallenſteinius amicus quibus hoſtis fuerit.

O mittam verò illa quæ Germani, exterique Hiſpani, Itali, Galli ſua lingua nō ſine Lepore evulgarunt illa tantum complectar, quæ Latino Idiomate conſcripta ſunt & in noſtras manus delata. Nemo reor mihi vitio vertet, ſi veritatem totidem verbis ſcripſero, quam quiſque ſuomet ſtylo exprimere non erubuit, neq; etiam ſuccenſebunt alij, qui in mortem VVallenſteinij acute vario verſu & proſà luſerunt, illorum ſane lucubrationes meas manus fugerunt fas interim eſto noſtrum opuſculum ſuis Epigrammatibus augere; nil auctori erit iucundius. ad rem.

Germania primas habeat.

Hæc appellat VVallenſteinium Herodem, Iudam exauctoratum. Ita porro loquitur:

Albertus Wallenſtein de præſumptuoſo Heroë.

Herodes.

Intra-

Intravit vt Vulpes, Belliger vt Lepus,
Superbiit vt Pavo, Gratus vt Cuculus,
Vixit vt Tygris, Mortuus vt Canis.
Proditor Iudas.

Præclara alia Epitaphia passim Germanicâ lingua conscripta sunt, quæ alijs compilanda & disseminanda relinquo.

Hispania.

in æs incidit, Madritiq; omnium conspectui exposuit quæ sequuntur.

Epitaphium Ducis Fridlandiæ.

Stupescite cœlites scelus intentum,
Gaudete mortales detectum,
Lugete dæmones destructum.
Siste viator rem disce.

Anno M. DC. XXXIV. Vrbano VIII. Papâ sedente, Ferdinando II. Occidentis Imperatore triumphante, Philippo IV. Dominico victore Hispaniam Gubernante, Ludo-

vico XIII. Barbonio Galliarum Sceptra tegente

Carolo I. Angliam poßidente,
Ferdinando Pannoniam Gubernante,
Ladislao Poloniam dominante,
Solimanno Tyranno Tyrannizante,

Lutheranorum Promißionibus, Cardinalis Bleßij de Richelieu Sollicitationibus, Idibus Martij captato Lunæ deliquio, vt totum caput impleret, vt totam stirpem Austriacam deleret, stimulis ambitionis actus, Dux Fridlandiæ Nefando mucrone extinguere voluit,

Et Numen noluit.
Mirabitur æternitas tantum nefas,
Stupebit orbis tantum scelus,
Lugebit & mater Ecclesia.
Filium suum primogenitum,
Cardinalem ipsum,
Destructioni suæ Patrocinantem,
Lector tanta monstrorum portenta,
nisi resipiscant,
Diris devoue:
Et disce,

Volubi-

Volubilem fortunæ rotam,
Dignitatum iter lubricum,
Et tot millium militum capitibus imperantem
Veneno ambitionis,
Nec Imperare voluisse nec potuisse.

Italia hæc dedit.

Nobilis Miles,
Dux,
Imperator,
Cæsari similis,
Hic iacet.

Victor victus,
Desertor desertus.
Dum Sceptrum quærit, feretrum inuenit.
Disce viator.
Non semper Audaces fortuna Iuvat.

Aliud Elogium
Wallensteinio.

Hic iacet
Corpus & fama Principis VVallenstein,
Vtrum-

Vtrumque ſimul perdidit;
Reddidit non perdidit,
Fraudi commiſſa ſors aſſumpſit,
Fortuna auxit,
Perfidia deſtruxit.
In aſcenſu ſe rexit,
In vertice præcipitauit,
Bene egerat ſi bene finijſſet.

Ex Gallia Hæc prodierunt.

Vitam priuatam odit animus Regius,
Magnanimus ardua molitur.
Ambitionis nec meta nec regreſſus,
Aut Pereundum aut Regnandum.
Nec Iudicanda euentu, quæ ratione acta ſunt,
Actiones ſunt virtutis, euentus
Fortunæ.

Iuſtum erat vt Sceptrum regium quæreret, qui
Cæſareum, dedit.
Quod fecit licet,
Quia fecit vt regnaret.
Cæſarem cadentem erexit VVallenſtein,
Cæſar erectus proſternit VVallenſtein.

Qui

Qui in aduersis socium habuit, in prosperis
servum non sustinet,
Voluit perdere, quem nonpotuit remunerari,
Nimium meritum odium peperit,
Dum victoriam alij parat,
Inuidiam sibi struxit.
Gloriam dedit Imperio; Imperiũ sibi ruinam.
Vitam, opes, amicos pro Cæsare toties exposuit,
Vitam, opes, amicos Cæsar semel abstulit.
Vita cessat,
Fama durat.
Quis nescit tua virtute partum, auctum, firmatum Imperium?
Nil aliud iniustum fecisti.
Nisi quod ingrato nimium fideliter seruiuisti.

Acutè sanè, si æque verè. Quisquis es Poëtarum pessimè, in eo te vel maximè poëtam facis, quia fabulas aptè cõminisceris, falsaque pro veris nugiuendulus adulterina merce distrahis. Sed in eo turpiter à tuo aberras instituto quod iniquum Iuris-peritum te fingis iuraque quæ nunquam didicisti Cæsa-

ribus Regibusque iniustissima dispensas trutina. Iustusne tibi foret, qui domum tibi patriam eriperet aliaque bona, quæ iam pridem debebat concederet? Sed nec Wallenstein Cæsareum Imperatori Sceptrum dare poterat, quod ante versabat Cæsar, quam de Wallensteinij nomine esset memoria. Itane vero iniquissime rerum tibi ignotarum æstimator Wallenstein videtur fecisse quod licebat? Eodem reor iure optimo tuo Regi Ludouico Iusto coronam à Fridlando ereptam, fauisses. Ergone Imperandi libido impunitatem inducit scelerum? absit facinus, vel in tuum caput omnis regnandi appetitus desæuiat. Noua narras & orbi incognita cum adstruis erectum esse Cæsarem per Proditorem suum: Stabat Imperator & staturas erat, nisi Wallenstein casum procurare intendisset. Poterat Wallenstein Cæsari fuisse in prosperis socius, si in aduersis seruum se præbere fidelem voluisset. Erras calumnia-

lumniatorum pessimè si æstimas Cæsaris ærarium adeo exhaustum, vt nec benemeritis beneficia promere possit, qui in hostes plurimam semper beneuolentiam profudit. Odium VVallensteinio peperisse non meritum, sed perfidiam, vel tua conscientia teste, in confesso est. Si porro victoriam parasset, quam in manu habebat, omni inuidia maior, vniuersos suæ fortunæ inuidos despexisset, sed quoniam felicitate sua vti nolebat, accidit vt pro gloria immortali, ruinam sibi sempiternam & immortale probrum nullis sæculis delendum struxerit. Vtinam verò tam liberaliter vitam, opes amicos Cæsari impendisset, quam ipse Cæsaris vitæ, opibus, amicis est insidiatus: staret nunc reor erectus VVallenstein, & pro ipso vniuersum pugnaret Imperium, aut post vitam gloriosè cessantem fama durasset æuiternùm. Quid verò ais, dum quæris Quis Nescit tuâ (Fridlande) virtute partum auctum firmatumq;

Imperium? & quis contrarium non asſerit? Inglorio tuo ſtilo, vaniſſime Poëtarum & mendaciſſime Encomiaſtes voueo ac ſaueo, vt Iuſtiſſimi (quem ais) patroni tui Iuſtitia plectare, quoniam tam grato ſcilicet Proditori Elogia finxiſti.

CAPVT XIII.

Pacta quædam inter Fridlandiæ Ducem & Principes cum eo paciſcentes Ducem ſcilicet Saxoniæ & Marchionem Brandenburgenſem, Electores, vltro citroque miſſa & propoſita.

ARTICVLI PACIS.

QVos Albertus Fridlandiæ Dux exercitui Evangelico (vt vocant) in Sileſiâ tunc exiſtenti propoſuit approbandos.

I. Cupit Fridlandiæ Dux, cum Regno Sueciæ Electoribusque Saxoniæ & Brandenburgenſi ſinceram inire pacem: Et ſi qua fortè Cæſar propoſitis vtrimque

vtrimque & admissis pactis intercessurus esset, & articulos ab vtraque parte confirmatos subscriptosque improbaret, obligat se dictus VVallenstein Imperatorem vi ad consensum adigere, ad quam rem apta media ipse iam partim disposuit partim adhuc disponet.

II. Omnia Priuilegia imperialia à quibusvis aliàs Imperatoribus concessa redintegranda & de nouo confirmanda sunt. Omnium etiam exulantium bona inique ablata aut vltrò deserta restituenda; in qua restitutione à sua Persona Fridlandus initium faciet, omniaque bona sua vel sibi donata, vel quouis modo acquisita ad alios olim pertinentia libenter primus restituet quibus ablata sunt; damna vero bellorum iniurijs interim illata bonis, primi possessores obliuioni tradent nec deinceps vllam compensam exigent.

III. Iesuitæ omnes penitus, ceu bellorum auctores & incentores malorum ex Romanò Imperio proscribantur, ne

ſe Principum aulis poſthac inſinuent, & noxijs conſiliis turbent.

IV. Maxima illa (Hæreticis non eſt ſeruanda fides) penitiſſimè abolenda eſt, omnibuſque pactis conuentis ſinceriſſima fide, ſine vlla fraude doloue firmiſſimè ſtandum.

V. Saxoniæ Dux & Marchio Brandenburgicus, Electores, cum damna ipſis illata ſumptuſq; in militem alioſq; vſus impenſi compenſari vel reſtitui minimè poſſint, communem faciant Amniſtiam, nec poſt hac aliquid repetant.

VI. Exercitus vtrimque ex Imperio contra hoſtes exteros ſeu Turcam potius abducantur.

Præter hæc pacta Fridlandus etiam alia adiecit, quæ ſuam potiſſimum perſonã tangebant quæ cum paucula ſint, & ambitionem auaritiamque hominis ſuperbiſſimi ſordidiſſimique abunde oſtendent hunc adijcere non abs re eſſe duxi.

Frid-

Fridlandi postulata suam personam concernentia, quæ simul cum supra memoratis proximè articulis seu conditionibus proposita & ad Saxoniæ Electorem missa sunt.

I. Si Coronam Bohemiæ obtinere Fridlandus possit, pollicetur se omnibus, superioribus annis iniquè regno Bohemiæ pulsis, & à quouis tempore liberè vel coactè exulantibus, sua inibi bona fideliter restiturum; Libertatemque vbiuis locorum religionis permissurum: Palatinum quoque Comitem in suam patriam seu palatinatum seu armis, seu alijs amicabilioribus medijs reducturum.

II. Pro Mechelburgo, Sagano, &c. sibi ab Imperatore in sumptuum & seruitiorum suorum compensam donatis: alijsque debitis sibi adhuc restantibus, Fridlandus non nisi Morauiæ Marchionatum postulat.

III. Cum sibi Bauariæ Dux Maximilianus in Collegiali Principum conuentu

uentu Ratiſponæ habito obſtitiſſet, au-ctorque præcipuus fuiſſet, vt militare Imperium ſibi abrogaretur, velle ſe ei oppignoratam ab Imperatore terram ob der Ens dictam vi armiſque in compenſam debitorum eripere.

IV. Petit Fridlandus, vt Exercitus vtrimque coniungantur, ſibique contra hoſtes ducendi concredantur. His ſe Cæſarem coacturum promittit, vt omnibus pactis ſubſcribat, articuloſque inter ſe & Principes Electores Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgenſem concluſos nolens volens ratificet & confirmet.

Iure quaſi ſuo ſe hæc petere putabat VVallenſtein, nec niſi cum ſumma iniuria à Principibus abnui poſſe credebat: adeo hominem faſtuoſiſſimum, & primæ ſuæ conditionis immemorem abripuerat ſuperbia, & militum quos ad nutum ſuum regebat, propenſus animus. Ne tamen ſæpius dicti Principes ſibi quoque deeſſent, ſua etiam pa-

cta

cta ſcriptis conſignarunt, & ad Fridlandiæ Ducem examinanda, confirmandaque miſerunt.

His omnibus pro ſe & pro pace ſtabilienda à VVallenſteinio propoſitis punctis, & Saxoniæ Duci Marchionique Brandenburgico Electoribus, oblatis & diſcuſſis, ipſi quoque Principes hos ad roborandam pacem articulos ex ſua parte propoſuerunt.

Saxonis & Brandenburgici Electorum poſtulata.

I. Sua Cæſarea Maieſtas omnem ſuum militem extra Imperium deductum quantocyus dimittat.

II. Magdeburgenſem Archiepiſcopatum cum Halberſtadienſi, nec pro ſe, nec pro Sereniſſimo filio ſuo vnquam repetat.

III. Liga Catholica Regi Sueciæ, vel potius militi eius omnes ſumptus hoc bello impēſos ſoluat, ac bonis medijs adducat vt ex Imperio contenti vnde venerant reuertantur.


IV. Iesuitas omnes, & à Concilio & ex Imperio amoueat.

V. Pro sumptibus in bella præterita à se impensis, & damno à Cæsareanis copijs ducatui suo illatis (quod idē pro Marchionatu suo petebat Brandenburgicus) Imperator vtrique totam Silesiam pendat.

VI. Libertatem religionis vbique permittat.

VII. Pro octo auri vasis, quæ sua Cæsarea Maiestas Saxoniæ Duci debet superiorem & inferiorem Lausnitiam, & dimidiam Regni Bohemici partem hæreditariam transcribat.

VIII. Electoris Palatini Primogenitum Heidelbergæ restituat. Ad hæc, si renuat Imperator, Dux Fridlandiæ Cæsarem cogat.



CAPVT XIV.

Copia Literarum, quibus fidem suam Equitum Peditumque supremi Præfecti obligant Alberto VVallenstein Fridlandiæ Duci Pilsæ 12. Ianuarij Anno M. DC. XXXIV.

Et

Cæsareum mandatum de remotione eiusdem Fridlandi ab Imperio militari.

LVbet hîc exprimere duplex scriptum, alterum obligatorium, quo se milites Fridlando & fidem suam probant: Alterum inhibitorium, quo prohibetur militi posthac Fridlandicis Imperijs subdi. Prioris hæc est summa.

Virtute præsentium notum omnibus facimus, postquam nos subsignati Generales Officiarij & Colonelli certis relationibus accepimus, quod Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Albertus Dux Mechleburgensis, Fridlandiæ,

landiæ, Sagani & Magnæ Glockouiæ, &c. tum ob varias acceptas iniurias, & quotidianos prope inuidorum contra ſe machinationes, tum vero ob recuſatum ab Imperatore victũ ſeu commeatum militi ſuſtentando neceſſarium arma ſeponere, ſeque militiâ abdicare omnino concluſerit: cum vero nos probè intelligamus, quanto hæc reſignatio non tantum ſuæ Cæſareæ Maieſtati, ſed & bono publico, ac Cæſareanæ militiæ vniuerſæ incommodo ſit futura, quippe vnde penitiſſima omnis exercitus ruina pendet; viderimusque hucuſq; omnem ſpem noſtram in hoc vno capite cui hactenus ad omnia pericula obſequentes fidique fuimus, collectam ſubſiſtere, fortunaſque noſtras cum optimi ducis remotione periclitari, cum ipſe vnus ſolus ſit, qui obſequia noſtra pro ſua in nos beneuolentia compenſare velit & poſſit: non potuimus non grauiſſime ſentire hanc in vno capite militis noſtri cladem: Ei porro vt mature

cure proſpiceremus allegauimus vnanimi conſenſu ad Illuſtriſſimum Fridlandiæ Ducem Mareſcallum Campi Illo, cui vt maior foret auctoritas quatuor Colonellos Morvvaldt, Predavv, Loſy, & Hinneiſam viros in paucis ſtrenuos adiunximus, qui propoſitam iamque propè concluſam apud Ducem deprecarentur reſignationem, obligantes dicto Duci vniuerſæ militiæ noſtræ ſummam fidem, imo omnes vires, vitam & ſanguinem, ſi adhuc aliquantiſper, quoad militi aliqua ſaltem media aliunde prouideri poſſent. Quæ quidem noſtra fides, & ſincerus in optimum Patrem noſtrum amor, tantum potuit, vt votis noſtris annueret, ita vt ſine noſtro conſenſu vel ſaltem præſcitu militiam neutiquam deſerere promiſerit. Cui ipſius gratiæ ne ingrati argueremur, vniuerſi quotquot ſumus Sacramento dicto nos obligamus, omnem ipſi fidelitatem, ac vitam ad vltimam vſque ſanguinis guttam impendere.

dere. Iuramus quoque forma qua possumus solenniore, vt si quis forte nostrum decursu temporis ab hoc promisso descisceret, nos omnes opes, fortunas, vitam & sanguinem impensuros, vt eius perfidiam debito modo vlciscamur. Hæc omnia sine vlla fraude, dolo, æquivocatione nostra subsignatione & subscriptione roboramus & confirmamus. Pilsæ 12. Ianuarij Anno 1634.

Hinc facile colligitur quam Dux Fridlandiæ omnium prope militum animos sibi devinxerit, quamque funestum incendium exoriturum fuisset, nisi sub cineribus iamiam erumpens fuisset opportunè sopitum.

Mandatum Cæsareum

Ad Duces Belli de amotione Fridlandi ab Imperio Bellico.

NOs Ferdinandus DEI gratia Imperator Electus & Imperij semper Augustus, &c. Salutem omnibus

Gene-

Generalibus officialibus; Colonellis etiam & eorum locum tenentibus, vigiliarum præfectis Equitum peditumque tribunis, omnibusque in auctoritate militari constitutis cum Cæsarea gratia omnique faustitate ex animo precamur. Notumque tenore præsentium vniuersis facimus, quod, postquam prægnantibus vrgentibusque de causis coacti sumus, Generalissimum nostrũ Campiductorem nec essario mutare, omnes auctoritate imperatoria eximamus soluamusque iuramento militari quo dicto Duci erant obligati. Statuimus autem, & in eius locum ad interim seu vlteriorem ordinationem nostram dilectum & fidelem nobis Matthiam Gallas: volumusque vt omnes ei haud minorem præstent obedientiam reuerentiam, submissionem, quam vlli vnquam à nobis constituto Generali, sub grauissima nostræ disgratiæ comminatione & ineuitabili pœna bonorum & vitæ. Ac licet ad nos delatum quoque fuerit,

fuerit, quod aliqui ex Ducibus nostris præcipuis, in conuentum Pilsæ institutum aliquantum amplius quam decuisset consenserint, quia tamen illos ex falsa imaginatione vanisque pollicitationibus huc adductos esse facilè videamus, declaramus omnia ea quæ tunc forte contra nos imperiumq; nostrum acta sunt omnibus penitus, præterquã duobus quos nostræ Quæstioni & pœnæ nobis reseruamus, gratiosè ignoscere. Assecuramus denique omnem nobis subiectum militem, nos nunquam defuturos, omnibus gratiam nostram vt hactenus semper fecimus continuare, exercitui commeatum aliaq; necessaria, quantum in nobis erit prouidere. Vt vero hæ nostræ omnib. innotescant, nec tempus modo patiatur plura expedire exemplaria, volumus vt eadem fides, quæ authographo, adhibeatur ijs quas dictus Matthias Gallas nostra auctoritate iuxta authographum transcribi & publicari faciet, quæ nostra seria

est

est voluntas. Viennæ Austriæ 24. Ianuarij, Anno 1634. Nostri Imperij Romani Anno 15. Hungarici 16. Bohemici 17.

Ferdinandus. (L.S.)

CAPVT XV.

Ostendit Commorationem meam cum D. Colonello Deueroux.

Item Augustanæ vrbis expugnationem tempore Quadragesimæ.

A Morte optimi mei Domini Iacobi Butleri, nondum extinctus in me fuit ardor iuuandi inter milites proximi, atque cum passim quosvis ob linguæ commodam peritiam iuuare non possem, me ad conterraneos Ibernos sub legione Domini Deveroux transtuli, quo cum ad Augustanam obsidionem abij. Quantò Augusta Sueuorum spacijs & populo auctior, hòc contumacius resistebat Imperatori, vnde ad

tantam deducta eſt inopiam, vt illic nec carne quidem humana abſtineretur, reliquarum rerum ad ſuſtentationem neceſſariarum tanta erat penuria, vt cereuiſiæ menſura ſex florenis veniret, libra vna ouillæ carnis triginta quatuor Imperialibus venderetur. Sed & canes, feles, muſtelæ, mures, glires & huiuſmodi alia erãt in precio, ita vt libra eius carnis vnica ſolueretur duodecim Batzijs. Aſinina etiam caro in victum dabatur cuius libra conſtabat nouem batzijs. Non tango ſiliginem craſſiorem furfuribus miſtam, cuius modius viginti Imperialium precium excedebat. Vini porro amphora communis ſex imperialibus mutabatur. Nihilominus tamen in tantis rerum precijs repertus eſt non nemo imprudentis audaciæ orator qui frequentiſſimæ concioni ſuadere non erubit, ſatius eſſe fœno & palea boum inſtar & iumentorum paſci, imo militibus ſiniſtram potius eſſe arrodendam & dextra pugnandum, quã

Cæſari

Cæſari ſubmittendum: cuius quidem pudendæ inſaniæ recte à militibus eſt reſponſum, vt ipſe conſul ſuo exemplo præiret, experireturque quam arduum foret vna manu mutilum præliari; ſimulque his pactis ſe Imperatori ſubmiſerunt.

I. Vt miles omnis in vrbe præſidiarius Cæſareanis ſignis iuraret.

II. Vt præter vnam Eccleſiarum, reliquæ omnes ad orthodoxos redirent.

III. Alerent intra mœnia ſuis ſumptibus tria militum Cæſareanorum millia.

Hinc Vlmam properatum eſt, ac primo quidem huic vrbi pridie Paſchatis omnium victualium acceſſus præciſus, mox vero collecto milite tota eius amplitudo cincta, ac tam vberes opes vndiquaq; obſeſſæ. Nos autem per Geisling altera paſchæ feria in Lotharingiã contra Gallos mouimus, qui fœdere & armis iuncti pro Sueco faciebant, de

qua expeditione dicam plura vbi de Lotharingiæ Duce dixeram. Multus illo tempore erat sermo de Vrbano VIII. Summo Pontifice, quasi ipse potius pro hostibus quam Imperio ageret: de quibus quidem sermonibus aliorum esto Iudicium. Lepidum imprimis fuit illud quod inter Caluinistas cœnæ accubituros egit Hispanus miles sub paschales ferias, hic cum in fanum eorum esset ingressus siccis plane & exsuccis faucibus, opportunè reperit poculum in Pseudo-cœnæ partem dilutum, quod aggressus toto ore vnoque hausit spiritu. Tum Panem alteram cœnæ medietatem fidenter arripiens, ne noceret haustus, absumpsit omnem, vnusque solus eo die omnium nomine liberaliter cœnauit.

Hoc in itinere Tubingam diuertimus. Est Tubinga vrbs Academiâ celebris, ac bonis moribus literatisque viris clara, cui in edito colle adiacens arx multam præstat securitatem. Inde per

pagos

pagos ad extremum exhauſtos, partim igne partim fame & ſitu ſolitarios, altiſſimoſque montes ad ſyluam nigram (Schvvartzvvaldt Germani vocant) iter direximus, in quo cum ſub veſperam pagum illic pernoctaturi ingredi moliremur, valide ab incolis repulſi ſumus, quorum audaciam haud ferens Vice-Colonellus, iuſſit vi perfringi portas, ruſticoſque ad omnem beneuolentiam cogere. Inde per Waldkirch Hochburgum verſus tendimus, & cum eam arcem ſex Legionibus Turlacenſes tenere audiſſemus, cautè nobis incedendum fuit, ne qua à ducentis millibus furtim & ex inſidijs nos impetere volentibus opprimeremur: tuti tamen & incolumes tranſiuimus Friburgum verſus, vrbs hæc à bonis literis liberalibuſque diſciplinis nota eſt, magis Pallade quàm Marte potens. Hinc Briſacum perreximus. Eſt Briſacum munitio vna ex primis Europæ, in colle ſita, quam Rhenus duplici ferè ambitu cin-

git, optime arte æquè & natura munita; foueas habet profundissimas, muro duplici admodum denso ambitur, circumcirca planicies sese aperit tanta, quantam oculorum assequi potest acies. In fori medio turris visitur editissima in qua puteus ad portentum altus, aquas hinc extrahit in vsum ciuitatis continuum, iumentum aliquod illi labori publico sumptu destinatum, habet præterea propugnacula omni instrumento bellico instructa, ab occidentali vrbis parte pons bene longus & latus Rheno insternitur, ab Austro innatant aquis molendina cymbis seu pontonibus artificiose sustentata. Vidimus etiam illic tormentum bellicum nouem vlnarum capacitate. Obsidebatur tunc forte hæc ciuitas à triginta millitum millibus. Hîc dum aliquantisper cum Domino meo Colonello Deueroux subsisto incidi forte fortuna in Historiam à Germano quodam conscriptam, in qua de varijs orbis Principibus facun-

facundè differit auctor, ac inter cætera in magnæ Britanniæ maximi Principis iconem pereleganter in hunc ſenſum commentatur.

En tibi Rex ſupra cum Pallade doctus Apollo;
In laudes merito magne Iacobe tuas:
Infra te poſita eſt cunctarum copia rerum,
Quam felix populus magne Iacobe tuus?

Quantam hoc in diſtrictu paſſi ſimus rerum omnium ad ſuſtentationem neceſſariarum penuriam difficulter verbis explicari poteſt, vnde cum & pro hominibus & pro equis abeſſet ipſum triduũ commeatus, Enſisheimium profecti ſumus, Allabitur hoc oppidum vtcunque munitum Fluvius quem Ilam nominant ex montibus Alſatiæ promanans. Molsheimium deinde perreximus, illicque non minorem annonæ difficultatem experti ſumus, quare maximis itineribus in caſtra Lotharingica properauimus, vbi edocti ſumus de noſtris copijs, quæ non procul inde in

hostem intentæ sedulo excubabant. Mox à nostro aduentu, Dux Lotharingiæ Carolus commodam sibi visus est occasionem nactus Besordiæ occupandæ, misit igitur cum centum Equo-pedestribus militibus Tribunum Mercy animis & armis instructissimum, cum quo iam erant turmæ aliquot Croatarum, de successibus huius propositi dicam alibi.

Interea nunciatur quam felicibus auspicijs Recens imperatorij exercitus Generalissimus Hungarorum Rex Ferdinandus III. ad Ratisponam Nortlingamq; pugnarit: Quo quidem nuncio Hungari adeo sunt excitati, vt suo Regi immanem pecuniæ vim ad bellum in Germania prosequendum pepigerint. Hoc penè eodem tempore, postquam Hispanorum forti audacia & vigili studio Treuiri expugnati essent captusque Princeps Elector Philippus Christophorus ex Nobili à Söteren prosapià, ob consilia (quod dicebatur)
cum

cum Gallo contra Imperium communicata, Bruxellas deductus est. Bauariæ Dux Maximilianus Imperatoris filiam natu grandiorem Neptem suam, cum cõsensu Pontificis Maximi in coniugem sibi adsciuit. Dux Lotharingiæ ex Apostemate periculosè decumbere cæpit, periculumque superato non sine sanguine, morbo, euasit. Dux hic vt natura comis, ita Cæsari in omni fortuna semper fidelissimus, pro cuius amore, non tantum ducatum suum, totque vrbes in eo nobiles & opulentas, sed & vitam, & quidquid habuit ambiguæ & periculosæ aleæ exposuit libentissimè.

Caput XVI.

De Bello Ducis Lotharingiæ contra Gallos.

PRidie Nonas Maij cum ad Befordiam hæreremus, à nostris Croatis Tabellio cum literis ad hostem commeans interceptus est, & quantocyus

 suspen-

ſuſpenſus. Quinto vero Idus Maij cum ij qui in præſidio erant multo nos impeterent impetitu, adeo vt & vice Colonelli noſtri Equus ſecundum femur traijceretur, obſidionem ſoluere coacti ſumus non ſine noſtro damno. Quadringentorum enim equorum iacturam intra breue ſpacium paſſi fueramus; in huius vrbis obſeſſæ ſolutione, ſuppetias tulit ipſe Sereniſſimus Lotharingiæ dux cum quatuor militum millibus, & mox delectu militum iterum habito denuo duces fidem ſibi iurare voluit, quam rem cum admirarentur pluſculi, ipſe cauſam facti ſui libere reddidit, aiens, adhuc eſſe & in conſpectu ſuo proditores peſſimos, quos tamen ob varias cauſas cogeretur etiam tunc tolerare. Excurrebat noſter exercitus duodena militum millia, à quo eodem die emiſſi Croatæ tres legiones aduerſarias equitum peſſumdederunt, ac tria vexilla victoriæ monumentum Duci attulerunt. Spolia fuerunt vnius legionis impedi-

impedimenta omnia, ex quibus pulũerem tormentarium, cum commode & citra periculum abducere non poſſent ſuccenderunt. Inter captiuos adduxerunt Vice-Colonellum vnum, & cum pluribus mortuis adnumerarunt ãlium ſupremum vigilijs præfectum. Inde mouimus diuerſo aditu contra Gallos, dumque ex inſidijs Gallorum expectaremus impetum, Croatæ noſtri adoriuntur hoſtem, & tantis in eum viribus agunt, vt fugam capeſſere fuerit coactus. Dehinc bipartito diuiſimus exercitum noſtrum, ne qua Gallis vires noſtræ innoteſcerent, & vnam quidem partem per Alſatiæ montes, alteram per Burgundiam promouemus ac duodecimo Calendas Iunij offendimus hoſtem ad oppidum Luyr, ſed cum nos tunc peditatu ſufficienti deſtitueremur (plerique enim Equites eramus) in colle caſtra metati ſumus, emiſſiſq; Croatis qui à tergo eos impeterent, tormenta noſtra à fronte oppoſuimus, multaq;

hoſti

hosti damna dedimus, cum vero nobis nunciatũ esset, octo ipsis millia suppetiatum venisse, intempestâ nocte succensis castris Beffordiam versus mouimus. Postero die hostis nos insecutus multos è nobis mactauit. Ibamus interim recto itinere in planitiem Brisacensem, sperantes illuc nos hostẽ prosecuturum, cum vero Dux Gallorum vir esset senex & sagax (La Force eum appellitabant) nobis relictis Bruntrudum obsedit, & quam mox in deditionem accepit. Hic cum multi Gallorum ob aëris Germani desuetudinem emorerentur, plures verò languerent, in Lotharingiam denuo exercitum reuocauit. Nos vero cum hîc nouas suppetias opperimur, accipimus tandem Marescallum Coloredo & Vice-Marescallum Ioannem de Werth, cum Barone de Suis Generali præfecto vigiliarum, Generali præfecto Tormentorum Reinacher qui validum ducebant exercitum, & mox duo oppida in quibus insigne

Gallo-

Gallorum erat præſidium ad deditionem cogimus, omnesque ſegetes circa Colmariam ciuitatem munitam ſed Cæſari rebellem metimus, vineaſque omnes perdimus. Huic calamitati cauſam præbuit infidelitas huius vrbis, cũ enim Suecus vndiquaque nuper graſſaretur, ipſa Colonellum ſuum quem Imperator cum ſeptem peditum cohortibus in defenſionem huius loci miſerat, adulta nocte trucidauit, hoſtemque intra mœnia recepit. Mox iterum diuiſimus exercitum, cuius vnam partem Dux Lotharingiæ (in cuius comitatu erant Baro de Suis, & Mercy ambo generales præfecti vigiliarum) per auia & deuia, multaſque ambages ac vias arctas impeditaſque Ramiromundam ciuitatem amplam & mercimonijs claram deduxit: Alteram vero Ioannes Werthius cum ſeptuaginta vexillis equitum, per aliam viam in Lotharingiam præiuit. Mirabile hoc in itinere ſpectaculum prębebant montes

ſuperius

superius niuibus horridi, in medio segete diuites, in pede pratis & arboribus florentes. Vix in Lotharingiam pedem intuleramus cum in primo aditu de quinque peditum Gallorum cohortibus in vicino loco præsidij causa commorantium monemur, in quos dum arma expedire statuimus de nostro aduentu certiores facti, viriliter se nobis opponunt & in Schirmeck vsque repellunt vbi ipsum triduum exegimus.

Interea rem feliciter agit Gallassus, Spirâ enim & Manheimio potitur, expulsoque ex varijs vrbibus Wimariensi præsidio fortiter triumphat. Quoad Dux Bernardus Wimarius se de nouo colligens contra Gallassum Moguntiam tunc obsidentem, cum omnibus copijs iuit, ijs etiam quas recens in auxilium Wimariensis è Gallijs adduxerat Cardinalis La Valette, hi coniunctis viribus ab obsidione Moguntinâ Gallassum repulerunt. Hoc tempore in fidem Cæsaris rediere ex Imperialibus vrbibus

bibus Norimberga, Vlma, & Francofordia ad Mœnum.

Noster vero Werthius alibi non feriatur, sed tum felici ausu in Gallos mouet, vna eademque pugna vicena trina vexilla hosti eripit, Vice-Colonellum vnum & præfectum vigilijs vnum capit; & cum audisset Marescallum de La Force Gallum, contra nostros mouisse, quam mox se reliquæ exercitus parti scilicet peditatui, qui ad duodena millitum millia se extendebat, coniungit.

Nec minus fortiter Piccolominius ad Louanium rem contra Gallos gerit, à cuius obsidione hostem vi repulit, in qua expeditione Louanienses studiosi & Religiosi variorum ordinum suos etiam animos contra Gallos ostẽderunt. præcipuam tamen hac in acie laudem meritus est Colonellus Priston cum suis Ibernis, qui primi Gallos è fortalitiis exegerunt.

Quinto Idus Iulij Ioanni de Werth significatum fuit Gallici exercitus cataphra-

taphractariorum manipulum in quodam pago non procul à castris de la Force, agere, contra quos per sylvarum abdita curriculo contendit, sed quoniam excubias sollicite seruabant, non nisi paucos nobiles Francos in reditu secum abduxit. Parum hic abfuit vt & Wimariæ Ducem Bernardum & Cardinalem de La Valette interciperet, qui à rustico commodè moniti Equorum præsidio euaserunt. Stabat tunc penes Gallassum vt totus Gallorum exercitus periret. Huius enim an negligentia an prudente cunctatione nescio, aduersarius exercitus relictis tormentis & impedimentis omnibus & aliquot militum millibus Metas euasit. Quem dum nostri recto tramite fugientem sequuntur suspicionem ingerunt, ac si de vrbe obsidenda cogitarent: quod vt impediat Gallorum dux, nostros suo exercitu cingit & intra vrbis mœnia & se concludere annititur, id vero consilij cum nostros latere non posset, mox emisere

qui

qui ei facesserent negotium. Itaque cum Marescallus de la Force videret nostros viribus præualere, nocturnis in tenebris fugam capessit, quem Werthius à tergo secutus quingentos facile milites cecidit.

His ita transactis Serenissimus Lotharingiæ Dux Carolus Romervillam migrat, tormentisque maioribus tam strenuo impetu quassat, vt intra paucas horas præsidium Gallicum sibi subiecerit. Tantum fuit in vrbe gaudium ob Ducis sui ingressum, vt gregatim summi infimique, sacri & prophani sese in cõpita effunderent, & occurrerent eius postliminio ad se reditum toto cordis affectu gratulantes. Data hic fuit Legioni nostræ cura occupandæ arcis munitione & structura præaltæ, & sex fortissimis turribus formidabilis ad Episcopatum Metensem spectantis, quam non multò post multo quidem labore compilatis omnibus eius bonis quæ in arcem comportata fuerant in potesta-

tem redegere. Hoc Menſe Iulio exeunte Cæſar cum Duce Saxoniæ alijſque Germanię Principibus quibuſdam inijt de nouo pacem.

Interim dum hoſtes coëunt in cuneos, noſtrique ſe ad prælium parant, Ioannes de Werth in Gallos ex inopinato irruit legionemque integram Equitum concidit, captis ipſomet Colonello & ſupremo eius vigiliarum Præfecto. Septimo decimo Septembris expediuntur duo millia militum ad S. Nicolaum ciuitatem & amplitudine & munimento viſendam, quam cum Galli pœne omnes ægri inſiderent facilè fuit noſtris irrumpere, & mactatis aduerſarijs pro libitu prædas agere opimas.

Capvt XVII.

De Progreſſu Ducis Lotharingiæ contra Gallos.

Die vigeſima Iulij Iberni noſtri ab hoſte reduxere triginta ſex captiuos;

uos; Hungari vero octoginta, præter eos quos occidêre plusculos. Vigesimo septimo eiusdem mensis Galli annuam Natalis Regij commemorationem festo tormentorum sonitu ter repetito concelebrarunt, cuius tumultus causam cum nostri ignorarent, totam noctem in armis exegerunt, biduo post hostes sua castra soluerunt. Altero Octobris die Serenissimus Lotharingiæ Dux amicorum literis certior factus, quam sine negotio Wimarius cum omni Gallorum exercitu à Gallasso internecione deleri potuisset, adeo indoluit, vt nullius sermonem sed ne conspectum quidem etiã intimorum suorum sustineret. Cum & ab hoste compulsi fuissent nostri Moguntinam obsidionem soluere, & ob victus penuriã (cuius defectu magna indies militum multitudo peribat, cum amphora vini duobus Imperialibus, & panis libra tribus florenis solueretur) aliò tantisper recedere. hostis quoque easdem mise-

rias ferens, vltra ſubſiſtere non potuit, cum pabuli inopia equi indies magno numero caderent, ita vt relinquere in diſceſſu viginti tormenta bellica maiora cogeretur. Poterat vtique tunc Gallaſſus magnam in hoſte ſtragem exercere cum ipſe cum quadraginta militum millibus lento paſſu, ſine vlla hoſtis infeſtatione, Wimarium Muſſipontum euadere ſinit & cum Mareſchallo de la Force vires coniungere. Et hoc erat quod Lothoringum peſſime (vt par erat) habere poterat: triſtior itaque ſeptimo Octobris die, de re bellica conſultaturus ad Gallaſſum proficiſcitur. Hoc in itinere, ab emiſſis in eam rem exploratoribus intelligit Dux Regem Galliæ non inde procul venationi operam dare, contra quem comprehendendum ipſe Dux cum millibus aliquot egreſſus eſt, ſed neſcio quo fato aliò deerrans ab itinere recto & Rege deuiauit. Circa eadem tempora Fortiſſimus Campiductor Ioannes de Werth cum
paucu-

pauculis Legionibus contra hostem, qui tunc fortè per Pagos dispersus hærebat, mouit, sed cũ ille in tẽpore monitus esset de Werthi aduentu, fuga salutem redemit. Quem postridie vlterius prosecutus in planissimis campis reperit, & ad velitandum coëgit, ac viginti quatuor turmas ita salutauit vt ne vnus, sed ne vexilla quidem, (quæ ipse in nostra castra gloriosè deportauit,) superesset, Quin & reliquæ aduersariorum legiones, relictis mille quingentis curribus fugam dedere; currus porro cum defectu Equorum Ioannes abducere non posset, igne concremauit. Sexto decimo Octobris castra mouimus versus Blomont arcem nõ ignobilem, quam tunc Galli tenebant, hi cum de nostro accessu cognouere, arcem disturbatis turribus & muris confestim destituerunt. Atque sic tandem Gallassica castra attigimus viresque nostras coniunximus, cumq; hostiles copiæ à nobis nonnisi duarum horarum

ſpacio abeſſent, vallis foſſiſque ita nos ſepſimus, vt nullus aduerſariorũ machinis pateret acceſſus. Interim optimus Lotharingiæ dux, non putauit æquum tantum ſe defenſiue contra Romani Imperij hoſtes geſſiſſe, niſi & offenſiua arma contra Wimarienſem marte propitio expediret. In Wimarienſia itaq; impedimenta cum incidiſſet & ſaluum conductum fudiſſet, ipſos currus cum prouehere nõ poſſet vna cum tormentis bellicis, concrematis rotis omnia diſperdidit. Quam iniuriam non ferentes Galli magnis copijs in nos irruere, tantiſque viribus noſtros prouocauere, vt totum diem Croatæ, Hungari, & Poloni rem gerere, & eorum impetum, moderate ſuſtinendo, infringere coacti fuerint. Vniuerſus exercitus noſter tunc nõ ſperabat aliud quam atrociſſimum prælium, ſed Ducibus viſum vt in commodiora tempora differretur. Quanta interim hic militũ & equorum fame & tabe pereuntium multitudo in caſtris noſtris

noſtris fuerit diſperſa, difficile eſt dicere difficilius credere: Dolebant pleriq; tot martios animos extra prælium inter amicos ſterni. Poſtridie cum ſtationem ſuam aduerſarij noſtri ſoluiſsēt inſecutus eſt eos Werthius ſatius ratus glorioſe in prælio occumbere, quam in caſtris deſidem cum inopia luctari. Eius reditum cum præcipui ducum auide expectarent, tandem ſine magno fructu redijt. Hoc tempore Gallaſſus ad ſumptuoſiſſimas epulas ducum præcipuos inuitauit, & primum quidem locum in menſæ capite occupabat Dux Florentinus, eius latus cingebant dexterum quidem Legatus Eminentiſſimi Electoris Moguntini Archicancellarij totius Imperij, Comes de Gronſvveig Tormentis præfectus in Ligæ exercitu; Gallaſſus, Werthius, & Marchio Paſſampier generalis vigiliarum præſes. Siniſtrum autem Eminentiſſimi Cardinalis Hiſpaniæ Legatus, Coloredo generalis Mareſchallus in exercitu Imperatorio,

torio, Comes de Götz locumtenens Mareſchalli, ſenior item VVangler vigilijs præfectus alijque nonnulli generales pro ſua quiſque conditione: Nec erat ex colonellis vllus qui illi menſæ aſſideret. Die tertio & viceſimo Nouembris diſſolutis caſtris Pfaltzburgo Tabernas contendimus: ſunt Tabernæ locus admodum munitus & ex præcipuis Alſatiæ munitionibus, quem recenter à Gallis recuperauerat Marchio de Grana. Hoc loco aliquamdiu ſubſtitit Gallaſſus, & ne miles otiaretur, iuſſit valla inſtaurari & munitioni iſti ea addi quæ deeſſe videbantur. Non defuit Maleſuada fames, quæ noſtrum exercitum identidem ſecuta eſt. Vidiſſes amice Lector hoc in itinere ſi vnquã alias ſplendidiſſimam miſeriam, matres parvulos ſuos exponebant, ne ipſæ eſſent tam crudelis mortis teſtes oculatæ; vidiſſes militum præcipuos inter niues animam fame extortam reddere & qui nulli hoſti externo vnquam ceſ-
ſerant

ſerant nunc domeſticæ miſeriæ victas vltro porrigere dextras: vidiſſes paſſim in cadauera equina & bouina ſedulo inquerere militem, vt tantiſper animam ad euolandum promptam retineret. Has inter miſerias coacti fuerunt belli Duces exercitum diuidere, & aliquam quidem Ligæ partem ad Treuiros, aliam ad Leodienſes ablegare. Cæſareanas verè copias tripartito ſecuerunt, partemque vnam ſeniori Coloredo Generali Mareſchallo, in confinia Galliæ ducendam commiſerunt, alteram iunior Coloredo Vice-Mareſchallus in Burgundiam abduxit. Tertiam ſibi Gallaſſus retinuit. Noſtra tunc Legio cum Generali Præfecto vigiliarum Wangler in hyberna abijt, recta igitur Bockenheimium direximus iter, quod non ita pridem Duci Lotharingiæ à Cæſarea camera Spiræ poſt longam contra Naſſovium diſceptationem cum viginti quatuor pagis aſſignatum fuerat, deìn per Sarbruck tranſiuimus, eſt ea ciuitas

 ſatis

ſatis ampla in medio Saræ cõſtituta, viſiturque in ea arx magnifice exſtructa, conclauibus & aulis egregijs viſenda. Incidi hîc in Nobilem Dominam Marchionis Turlacenſis Filiam Mariam Elizabetham, Comiti Naſſovienſi tunc nuptam, quæ diſſertiſſimè linguam Latinam loquebatur, Philoſophiciſque etiam diſciplinis commode exculta erat, verſus item artificioſiſſimè in metrum ſtringebat, multâ militum noſtrorum admiratione. Hinc in VValderfangk à Gallis inſeſſum progreſſi ſumus, à quibus oppidum nobis tradi poſtulauimus, qui cum renuerent vi cepimus, & ad vnum omnes in præſidio exiſtentes mactauimus. Hoc oppidum hybernis noſtris aſſignabatur, cum vero id abnuiſſet Colonellus noſter ob victus inopiam, atque ad Gallaſſum indignitatem rei detuliſſet, ab eodem nihilominus iuſſus eſt iterum locum illum acceptare. Hoc anno exeunte ex Poloniâ nobis ſuppetię miſſæ ſunt octo

millia

millia militum selectissimorum, quorum vexilla hanc præferebant Epigraphen Auis Aquila grandis, magnos hostes pellit. Quilibet militum eorum duplici armabatur acinace, altero ad latus proprium, altero ad equi ephippiũ alligato. Eodem tempore ad nos perscriptum est de dissensione inter Gallos, Scotos, & Anglos exorta in Hollandiæ partibus, sicut & de luculenta Gallorum clade istic accepta. Quod item Dûnkirkani viginti supra ducentas naues ab Hollandis obtinuissent. Ducem item Roannensem Regis Galliæ per Italiam Mareschallum rem infaustè contra Hispanos gessisse, & vna cum eximio exercitu Ducatum Parmensem è manibus Gallicis dimittere coactum esse. Postremo Decembris die Vice-Mareschallus Coloredo, vna cum Mercy & Passampier ad Luxeuburgenses mouit, eo quod V. Vimariensis Dux Bernardus nescio quas turbas cieret.

Ad Annum Christi M. DC. XXXVI.

Ingressus.

Ineunte anno supra sesquimillesimum centesimo trigesimo sexto, dux noster extrema pressus inopia, omnem indagauit viam se à duplici hoste fame & Gallis defendendi; Illam itaque vt expugnaret, hos aggressus est; ac copias suas cum Theonis villam abduxisset in ripà Mosellæ fluminis cui ciuitas adiacet explicauit. Ducit hoc flumen nomenclaturam suam à confluentià Mosæ & Sellæ. Mosa enim postquam à montibus Alsatiæ prorumpit vario ambitu ad Sellam ciuitaté flumini cognominem cum Sellâ fluvio se coniungit; & ne auctori Sellæ ingratus sit Mosa nomen eius suo adsciscit Mosellaque deinceps nuncupatur. Hic dum subsistimus Molitorem prope metas habitantem aduersarium habuimus sane infestissimum; Eum Necromanticum multi putauerunt, sed vanis reor augurationibus, cum ipsum potius militari

soler-

solertia omnia sua præstitisse opinet. Hic dum multa varijs in locis damna militibus intulisset, tandem & ipse à rusticis circumuentus est & occisus. Generalis noster ad Theonis-villam ponte nauali strauit Mosellam, cuius ope omnis exercitus traiecit. Postea vero cum rite omnia ordinasset, ipse Bruxellas ad Eminentissimum Hispaniarum Cardinalem abijt, de rebus bellicis consilium petiturus.

CAPVT XVIII.

De Initio & causis Belli à Lotharingiæ Duce contra Gallum suscepti.

CVm Gallorum Rex Ludouicus XIII. videret se confœderatis sibi Suecorum copijs contra Cæsarem commodè suppetias ferre non posse, nisi Lotharingiæ ducatum certum & securum in Germaniam aditum obtineret, petijt primùm consuetis Regum, hoc est, armatis precibus, à Lotharin-

giæ Duce Carolo III. eius nominis, vt ſibi ad tempus quaſdam vrbes in ſuo Ducatu relinqueret. Quas cum ſe prudentiſſimus Dux citra totius patriæ interitum Francorum Regi negare non poſſe videret, ne ſe ſimul ſuoſque perderet annuit poſtulatis quantumuis ſagaciſſimus Princeps probè perſpiceret quo tranſuerſum res tota itura eſſet. Non ſteterunt hoc loco machinationes Ludouici; cum enim tam felici principio vidiſſet Ducem, quem conſenſurum haud putauerat vrbes ſuas ſibi conceſſiſſe, plura poſtulare eſt auſus; accitum ergo iuſſit arma quæ pro Imperatore Ferdinando contra Sueciæ Regem ſibi fœdere iunctum ſuſceperat, deponere, ſibique in ſuam ſuorumque ſecuritatem dare Nanceium munitionem Lotharingiæ totius præcipuam. cui Lotharingiæ Dux pro ea qua eſt humanitate, reſpondit id fieri difficulter poſſe, excuſans feuda quæ ab Imperio haberet, ideoque vt fidelis Vaſallus de-

bere

bere ſe Domino feudi in neceſſitate ſuccurrere: Quod ad Nanceium ſuauiſſimè apertam iniuriam apud Ludouicum Iuſtum eſt deprecatus, cumque Rex acrius ita ſe fieri velle vrgeret, apertè diſerteque negauit ſe à Cæſarianis partibus abſceſſurum, cum maiores ſui ab omni retro vetuſtate pacta conuenta cum Cæſaribus ſemper inuiolata ſanctè ſeruaſſent. Hæc res, quæ Duci Carolo laudem fidelitatis dare debuerat, initium fecit Gallici in Lotharingiam domum odij. Interim vt belli iuſti cauſam plebi Gallus obtruderet, ſpargi in vulgus fecit Carolum contra ſe cõſpiraſſe; ac velut Vaſallum Gallicæ coronæ obedientiam debitam negare: ſororem inſuper ſuam, contra inhibitionem Regis, & Regni ſtatuta Fratri Regis obtruſiſſe coniugem, &c. Itaque Nanceium valido exercitu cingit, atque poſt aliquantam obſidionem in ſuam poteſtatem cogit. Reliquerat id temporis Carolus Fratrem ſuum Nicolaum

laum Franciſcum Sacræ Romanæ Ecclesiæ olim Cardinalem qui Ducatum in ſua abſentia cum pleno iure regeret, paciſcereturque amicitiæ conſeruandæ gratià Neutralitatem pro ſe ſuiſq; tunc ſubditis ad libitum cum Galliarum Rege, & vel ſic ipſum placaret, ſed nec hoc quidem ex voto ceſſit; capta enim vrbe, & Cardinalem nuper, vna cum recens Nupta Claudia in captiuitate detinuit, probeque, cuſtodia adhibita intra domeſticos parietes concluſit. Hi cum ſe retineri tam ſollicitè vidiſſent ſuſpicati quod res erat, de clandeſtina fuga cõſultare inter ſe cœperunt: adhibitis dein in conſortium conſilij fidelioribus aulicis, honeſtam fugam, probroſæ captiuitati, quantumuis iniquæ præponondam eſſe ſeriò concluſerunt. Poſito ergo Ducali habitu, plebeias & ruſticas veſtes adſciſcunt, impoſitiſque dorſo fimineis corbibus, veluti fimum deportaturi in vineas dexterrimè elabuntur, directoque Italiam verſus itinere

nere rectissimis semitis deducũtur. Nec minus Henrica Principis Pfaltzburgensis coniux prudens inuenit euadendi commentum. Erat tunc forte Iuuenis ex optima Angliæ nobilitate oriundus in vrbe, qui ob tibiæ periculosum dolorem vouerat ad dies aliquot Sacrum Deiparæ Sacellum, miraculis clarum inuisere, Hic in suo essedo, quo vehebatur hanc Principem abscondit, eduxitq; ad Sacellum vbi erant equi dispositi, qui vtrumque in tutiora loca hoc est in Comitatum Burgundiæ deportarent. Hinc postea periculosa audacia per Gallias cautissimè profecti, in duos Equites nobiles forte fortuna inciderunt, qui Dominam hanc comiter salutatam agnouerunt, cum vero se deprehensam vidit ad preces cõfugit, rogans viros Gallos ne qua sibi Principi fœminæ fraudi essent, vel hostibus proderent. Quod ipsi polliciti, securam Bruxellas dimiserunt. Margaretha porro altera Ducis Lotharingiæ soror, & vxor

Fratris Regis Galliarum virum mentita Nanceo Theonisvillam delata est. Domina denique Nicolaa vxor Ducis Caroli capta Parisios deducta est, vbi etiam nunc detinetur.

Rex Franciæ cum totum Lotharingiæ Ducatũ sibi subiecisset in ciuitate Barrensi æneam erigi iussit columnam cui inscribi fecit causam proscripti Ducis, vetuitq; Nancæi, edito & in publicum evulgato edicto, ne post hac ab vllo cuiuscũnque status aut conditionis indigena vel extraneo Carolus Lotharingiæ Dux appellaretur. Mox in Religiosos sæuitum est, pluresque Lotharingiâ excesse iussi, reliquis seuere inhibitum est, ne posthac pro alio quam Galliarum Rege preces in toto ducatu funderent. Quàm verò id recte, viderint æqui rerum æstimatores. Scio quoque certorum & fide dignissimorum virorum relatione id ipsum etiam pluribus in tempestate Suedicâ ex Germaniâ in Gallias exulatũ exactis contigisse, quib. & vin-

cula

cula interminata & carceres, aliæque pœnæ ſtatutæ ſi poſt hac pro Romano Imperatore ſolennem Eccleſiæ precationem, quam ipſi quoque Galli ſuis miſſalibus imprimunt, publicè pronunciarent.

Sexto decimo Ianuarij Colonelli Corpus, & Ludouicus Croatarum Legionibus Præfecti cum noſtris Dragonibus ſeptem Equitum Gallorum turmas viriliter ceciderunt, interceptis cētum quinquaginta Equis. Trigeſimo eiuſdem Longovicum perreximus arcemque vicinam Gallico præſidio firmam obſedimus, nec multo poſt ad paciſcendum Gallos coëgimus. Sub hæc tēpora Moguntia & Confluentia aliæque adhuc vrbes ad Imperatorem rediere. Vigeſimo ſeptimo Februarij iuſſi ſumus Martisvillam aggredi, paruerat illa nuper partim Hiſpanis partim Lotharingo, iam verò ciues aduerſarijs ſoluebant vectigal ſtrenueque contribuebant hoſti, vt vero paulo poſt no-

ſtris ſe ſubdidit armis, quatuor Scutorum aureorum millia (Duplones vocamus) iuſſa eſt pendere noſtro Generali Coloredo, & quot ſeptimanis mille imperiales militi. Arlunam quoque ciuitatem cepimus quæ nomen à Luna ſortita eſt, cui olim indigenæ aram erexerant, cuius monumenta etiamnum hodie ſpectantur. Arluna ergo dicitur quaſi Ara Lunæ. Veris huius anni, initiũ ſicut & reliquus progreſſus aſperrimus fuit, ita vt miles malè veſtitu inſtructus vix poſſet ſe à frigore defendere: multi rudes boum ſuumque pelles arcendo frigori corpori circumligabant. Ineunte vere Croatæ tres Legiones Gallorum animosè adorti omnes contrucidauerunt, pauculis primoribus quos in captiuitatem abduxerunt exceptis. Poloni quoque & Hungari opimas tulere prædas, ſed cum ſe auro locupletaſſent, pugnam renuere quoad Mercy pontem naualem ſtruxit, per quem tranſire omnes compulit

vt

vt in Campaniam excurrerent Gallosque infestarent, quod paulo post declarabitur.

CAPVT XIX.

De Progreßibus nostrorum contra Gallos.

LEgio nostra in mandatis acceperat pontis aditum custodire, quoad omnis exercitus transijsset, in quem finẽ subitaneum opus immanem securumque aggerem egesserat contra hostium nobis iminentium incursum. Cum vero Poloni negarẽt se pugnare posse aut velle, nisi stipendia ipsis soluerentur, imo retro ad hyberna pristina cederent, nostra legio coacta est adulta nocte fugam capessere, pontemq; post se accensis iniectis fascibus, asseribusque in Mosellam deiectis disturbare. Hinc Aruillam contendimus ac stationem illic ad tempus fiximus, multaque inde Gallis damna dedimus. Dici haud potest,

quantam Croatæ Dragoneſque noſtri hiſce in partibus exercuerint ſæuitiam, pagos obuios concremando, deprædando vrbes, trucidando ſine diſcrimine nobiles ignobileſque, mulieres nobiles ſacraſque Deo virgines ad ſuam libidinem rapiendo, prædas iniuſtas faciendo. Diuis dicatas Eccleſias violando, pudet dicere, non reor ipſos Turcas Saracenoſque grauiora vnquam damna in ferre Chriſtianis potuiſſe. Atque, quod maxime deteſtandum eſt, hæc omnia impune faciebant milites, indulgentia vtique eorum qui exercitui ſummo cum iure præerant, qui vt ſe locupletarent, nihil penſi ducebant, iurene an iniuria miles præliaretur, nec curabant magnopere an amicis an ab hoſtibus prædas abſtuliſſent. Vnde mox Diuina vltio noſtros nec lento pede inſecuta, hoſtilique manu in ea loca vnde exieramus repulit, vbi inexplicabilis erat annonæ difficultas. Ruſtici quoque nobis infeſti, plures noſtrum

ex

ex insidijs partim, partim aperta vi mactabant, & vbi arma deerant, sudibus palisque res rustica agebatur.

Quartâ & vigesima Martij cum Lotharingiæ Dux iterum se negatiorum causa Bruxellas contulisset, in Vice-Mareschallum Coloredo Iuniorem circa Luyr Galli impetum fecerunt, & licet Coloredo se tunc virum fortem, impetum multo tempore sustinendo, hostique obsistendo præbuerit, ipseque semper in prima acie pugnarit, dissipatis tamen copijs captus est, Parisiosque abductus. Hoc anno etiam plura quam viginti militũ millia fame enecta sunt: atque illa erat tunc pugnandi ratio vt integri exercitus qui nec hostem viderant vnico quasi flatu dissiparẽtur. Decimo Aprilis nostri missi sunt, vt aditum Metis vicinum interciperent, sed non multo post non sine clade & ignominia redire compulsi sunt. Non procul hinc rustici plusculi tumultuantes in arma ruerant, qui ex syluis & insidijs militem

hoc fere modo propinabatur. Reclinabatur ſupinus ruſticus, intra cuius dentes interijciebatur bacillus, qui patulum & apertum rictum retineret, tum verò tamdiu infundebant aquam quoad diſtento inſtar tympani ventre præfocaretur, vel pecunias abſconditas panderet. Hanc tantam inhumanitatem immanitatemque pio Lectori deteſtandam execrandamque relinquo. Hoc anno, qui fuit multorum ſermo, fides ſit penes Auctores, Galli Imperatoris Effigiem Virdani in crucem ſeu patibulum ignominioſiſſime egiſſe dicuntur: quod quidem ego haud reor: Quis enim credat tantam in Principem optime Catholicum iniuriam à Regi Chriſtianiſſimo ſubditis impunem eſſe permiſſam? Calendis Maij ex Sebachianâ Legione turma vna Gallorum ſenſit victricia arma Lotharingiæ vero Dux obſidere cœpit Leodium ſine fructu tamen aliquo, cum ciues eſſent & viribus & loci ſecuritate ſuperiores. Interea

ſub nonum Iulij Dux Bernardus Wimarienſis cum Cardinale de la Valet Gallo validiſſimum exercitum admouent Tabernis Alſaticis, ſimulque commeatum, quo omnino deſtituebatur, Haganoam deducunt, opportunè adfuere, cum magna illic gliſceret fames. Nos verò Luxenburgum verſus iuſſi ſumus pergere, ſed cum nos hoſtium inſignis turma impedire vellet, reſolutis mox animis in eam mouimus, & quamprimum in fugam coniecimus, eam noſtri ſecuti ſunt ad rudera templi alicuius, ex quibus illa non ſine ſanguine nos impugnauit, cum vero nos igne iniecto contra ipſam ageremus fortius, mori potius voluit quam ſe nobis dedere, pauculi ex turma illa peramplam ingreſſi cauernam, inde acriter præliabantur, quoad omnes vitam in ſanguine ponerent. Hoc eodem tempore Galli ad Iuodium Polonorum pecora abegerunt, ſimulq; prima irruptione duo vexilla ipſis eripuere, quam ignominiā

non

non ferentes Poloni, conuocatis viribus collectiſque animis in Gallos denuò irruerunt, trucidatiſque quadringentis, tria ſigna cum ſigniferis, & ſupremo vigiliarum Præfecto vno, pluribuſque Tribunis in caſtra retulerunt. Mouerat interim Mercy cum octo millibus vt Ducem Wimarienſem ab obſidione Tabernenſi impediret, ac die ſeptimo decimo in campis pabulantes ducentos Gallos offendit, quos cum equis ad ſua caſtra deduxit. Die nona decima eiuſdem Poloni iterum irruptionem in Wimarienſes parant, ac felicibus auſis mactãt pluſculos, capiunt viginti circiter non infimæ ſortis milites. Hoc ſucceſſu animoſiores viceſimo tertio Huius egrediuntur iterum ſecumque quadringentos equos abducunt. His modicis cladibus nil motus Bernardus Dux premere pergit obſidionem, vnde ex Ibernorum Legionibus duæ mittuntur in ſuccurſum eorum qui ad Tabernas hoſtem impetebant;

tebant; Per media itaque hoſtium caſtra Saræ-pontem primo, inde in Hombucch, tum per Keiſerslaudern, Neoſtadium in Palatinatu inferiori ſitũ, hinc Landauium magnis itineribus properauimus. Hîc etſi Gallaſſum non procul ab Argentinâ validum exercitum habere, pontemque non procul inde naualem ſtruxiſſe intelligeremus, Tabernis tamen ſuccurrere vel non potuit, vel neglexit. Interea hoſtis immaniter quatit mœnia, & ſuis ſpem facit vi occupandæ vrbis: Hic cum Iberni periculũ imminere vrbi viderunt, in hoſtem ſtrenue excurrunt, in qua excurſione Butleriani egregie ſe habuerunt: ducebat eos tunc forte Colonellus Mulheim, cum quo non minoribus animis recta in hoſtem ibant Capitanei Stivin, Alexander Mac Daniel, & Petrus Geraldinus. Ex hoſtibus occiſi Ducenti circiter, ex quibus officiales viginti, inter quos Generalis Hebron Scotus, & Comes Hanovienſis, ipſe etiam Dux

Wima-

Wimarius ſecundum manum leuiter vulneratus. Nondum cogitabant tunc Tabernenſes ciuitatem dedere, niſi miſerabilis & obſcœna fames eos etiam nolentes ad deditionem compuliſſet. Cum ergo cõmeatus omnis defeciſſet, ita vt vltra præliari exhauſtis viribus nõ poſſent, viderentque hoſtium in obſidione pertinaciam die quintâ decimâ Iulij pacti ſunt ciuitatem his conditionibus tradere.

I. Vt vexillis panſis egrederentur.

II. Vt liceret cuiuis ſua impedimenta avehere.

III. Vt militari modo paratis ad pugnam armis ad Gallaſſica caſtra deducerentur indemnes.

Glorioſe ſane præſidiarij ſe defendere, octo enim inſultus cum graui hoſtium incõmodo animosè repulerunt, & licet Tabernas Cæſari ſeruare non potuerint immortalem tamen laudem ſunt conſecuti. Sub vigeſimum tertium Iulij Hungariæ & Bohemiæ Rex Ferdi-

Ferdinandus III. castra nostra inuisit, atque ab omni exercitu maioribus minoribusque tertium exoneratis fistulis est salutatus. Cumque vniuersa rectè ordinasset in Marchionatum Badensem est reuersus; Quocum iuit Lamboy vir in paucis strenuus & rerum bellicarum imprimis gnarus qui quinque Legiones ducebat, inter quas erat legio Iacobi Gordoni. Hic Lamboy paulo post Brisacum cum suis discessit, seque cum Reinacher coniunxit, qui militi enerui in tres dies commeatum liberaliter vt potuit præstitit.

CAPVT XX.

De vlteriore progressu nostro contra Gallos.

BRisaco, Commeatu, vt dictũ est, in triduum instructi, per Dann in Burgundiæ Comitatum mouimus. Burgundi sanè nouos nos hospites liberalissimè habuerunt, nilque nobis ex bo-

nis

nis omnibus ſubditorum, præter Eccleſias & molendina, ſanctum eſſe & clauſum voluerunt. Eſt cæterum Burgundiæ Comitatus fertilis omni genere rerum vini & frumenti ferax. Hic dum quieſcimus tantiſper, Croatæ noſtri ex inſidijs in ſylua Gallos expectant, quos cum magno impetu in nos tendere vidiſſent, à tergo ex improuiſo adortos egregiè ſalutant, mactatis eorum plurimis captis reliquis. Hinc ad Balanſanam arcem expugnandam ducti ſumus, quam poſt aliquas moleſtias ſuperatas vndecimo Auguſti Gallis eripuimus. Hic cum præterea nihil obſtaret, vt copias noſtras cum Burgundicis coniungeremus, viginti quinque millium exercitum conflavimus. Die vigeſimâ tertiâ Auguſti Sereniſſimus Lotharingiæ Dux cum quatuor militum millibus ad nos acceſſit, vt toti exercitui cũ imperio ſummo præeſſet; quem feſto bombardarum ſonitu ſubmiſſiſſimè ſalutauimus, ipſeque nobis viciſſim qua

verbis

verbis qua ſignis, Galerum ſemper manu præferens, ſummam humanitatem exhibuit. Obſidebat tunc Dolam ciuitatem Burgundiæ & omni munitionis genere, & bonis literis clariſſimã Princeps Condæus Gallus cum eximio & ſelecto exercitu, contra quem arma expediuimus; Hic verò cum vires noſtras maiores, quã crediderat, audiuit, haud ſecurum expectare ratus, ſuccenſis tentorijs ſoluit caſtra, & fuga infami quidem ſed ſecura elapſus eſt. Noſtri etſi libentiſſime aduerſarios inſecuti fuiſſent, quia tamen vineta, inter quæ incedebant, expeditum curſum impediebant, ſpiritum promptum licet; ægrè admodum comprimere debuerunt. Obſederant hanc vrbem tribus ipſis menſibus maximis impenſis Galli, ſed propè nihil laude dignum, vel memorabile tota illa obſidione peregerunt, & pro gloria ſummã ignominiam retulerunt. Soluta igitur obſidione pars exercitus noſtri in vlterio-

rem

rem Galliam promouit, pars in Burgundia in omnem fortunam intenta, ſubſtitit. ne tamen plane otiarentur vigeſimo ſecundo Auguſti ſeptem equitum Gallorum turmas omnimodè diſperſerunt. Lamboy vero ponte ſtrauit fluvium, per quem exercitum ſuum Graium verſus traduxit. Eſt porro Graium ciuitas non tam vaſta quam munita, aptaque ſæuientium hoſtium furorem retundere. Hic dum ſubſiſtimus multa hinc inde hoſtibus damna dedimus, quoad vndecimo Septembris caſtra noſtra ſoluere iuſſi ſumus, ac noſtras copias cum Gallaſſianis iungere, intendebat enim Gallas Wimarienſem cum Cardinale de la Valet in vlteriorem Galliam cogere, ne poſt ſe vllum metuere deberet exercitum. Hoc in itinere Croata quidam neſcio quo fato in Burgundicorum ruſticorum manus ſolus delatus eſt, quem expoliatum omnibus viuum inhumarunt; Triduo poſt cum noſtri Dragones il-

lum locum transirent viderentque insuetum & novum illic tumulum putarunt preciosas illic res defossas latere, effossaque humo, in Croatam nondum exanimem inciderunt, qui cum erecto brachio petijsset auxilium se surrigendi, mox rogauit quis ille esset dies? veneris responderunt nostri, Itane vero, ait, ego tertium iam diem hoc in Ergastulo egi, dies enim Mercurij erat, cum viuus à pessimis Latronibus rusticis ad mortuorum sum delatus habitaculum. Septimâ & vigesimâ dicti mensis die Gallassianas copias attigimus, & mox sequenti die vigesimâ octaua contra Gallos non procul à nobis dissitos egressi sumus, qui cum de nostro aduentu audierunt, mox metu dilapsi sunt. Hic verò dum Marchionem de Grane cum tormentis bellicis expectamus, varijs excursionib. nostri plures hostium in castra adduxerunt captiuos. Pridie S. Michaëlis Archangeli Marchio de Grana adesse nunciatur, Gallas ergo

conuo-

conuocatis ipſo Archangeli feſto omnibus Generalibus & Officialibus inuitauit eos ad Miſſæ Sacrificium, & Concionem audiendam quam Pater de Societate Jesu habuit, egitque de pugna S. Michaëlis in rebelles cœlo Angelos, ductaque inde ſimilitudine, vniuerſos ad fortiter præliandum pro Deo & Cæſare hortatus eſt. Hinc contra hoſtem mox itum eſt, mandatum enim Regis Hungariæ vrgebat vt res prælio decerneretur. Sexto Octobris die Dux Wimarius Croatas infauſtis auſpicijs impetere voluit, Nam cum militem noſtrum præter ſpem vigilem reperiſſet, quam Croatis intenderat, ipſemet cladem tulit. atque tunc Croatæ poſt cæſos plurimos duos Tribunos cum Equitibus octo & quadraginta Equos cœperunt. Hac clade accepta Wimarius ad dolos animum conuertit, emiſit enim in Caſtra Croatarum ex diuerſa parte turmam duplicem, cumque vna in Croatas pergeret, Croatæ

 nil

nil ex altera parte periculi metuentes, totos se in eam partem conuerterunt, cumque hostem in cautius longiusque insequerentur, altera turma ex alia parte irruit, omnesq; eorum currus & impedimenta subducit. Hæc dum fiunt epulabantur interim & Baccho litabant plurimi, cognita vero post modum fraude, deinceps magis magisque hostem obseruarunt nostri, nec audebant ante in campum egredi, quam Picolomini & Ioannes Werthius aduenissent. Interea Marchio S. Martini cum Butlero Generali vigiliarum Præfecto aduentat cum octo militum millibus & duodecim tormentis bellicis de quorum aduentu hostis monitus, solutis castris aliò abijt, quem vigesima Octobris in silentio sine sonitu buccinæ & tympani plena & formata acie insecuti sumus numero circiter ad quadraginta militum millia, hoc fere ordine. Quatuor Legiones agmen ducebant in acie, has sequebantur pedites

conclu-

conclusi ex vtraque parte insigni equitatu, succedebant ex parte dextera & sinistra tormenta maiora centum omnino & triginta, quorum medium legiones aliquot tenebant. Ita igitur progressi vigesimo quarto die eiusdem venimus ad oppidum Mirbo, ad Marchionem de Mirbo spectans, Hic cum se Gallicum præsidium dedere nollet, à Butlero & Wangler vi expugnatum est cæsis omnibus præter eos qui ad arcem confugerant, quibus incolumitatem si se dederent sposponderunt. Vigesimo quinto Huius Croatæ nostri Postilionem cum literis Regis Galliarum ad Cardinalem de la Valet interceperunt. quo eodem die iussi sunt Dragones omnes Lotharingiæ Ducem sequi, quos vigesimo nono sub noctem applicuit ciuitati quam Galli nominant S. Iean. de Loan.

Calendis Nouembris horâ noctis prima Gallos in suis propugnaculis impetiuimus & felicibus auspicijs expuli-

mus, pugnauimus dein & mœnia maioribus tormentis quaſſauimus donec diluxit. Ducebat tunc forte agmen & ſemper in prima acie præliabatur Generalis præfectus excubiarũ Enckeforth miles ſane maſculus, hic ſua præſentia adeo militem animabat, vt contempta vita in propugnacula, tanquam ſi noſtra forent eniteretur. Superatis his omnibus denuo mœnia quaſſà ſunt à matutino ſcilicet diluculo; vſque ad horam pomeridianam tertiam, ſequentem vero noctem quietam exegimus. Sum veſperam tamen tormenta noſtra alio reducta ſunt, vocatique omnes Dragones exceptis ſolis Ibernis & Scotis qui periculis quam maxime erant expoſiti, ſeu id factum fuerit odio gentis alienigenæ, an negligentia & obliuione haud liquet, certum eſt eos hac in ſtatione tam viriliter pugnaſſe vt ſpectatores meruerint habere ſummos viros, ipſum etiam Gallaſſum, Duces Lotharingiæ, Florentiæ, Portugalliæ, Coloredo,

loredo, Marchionem de Grana Comitem Rippergenſem, Baronem de Suis, Lamboy, Fernamont, Mercy, quoad ipſis tandē ſuppetiatum miſſus eſt, iuſſu, vt creditur, Ducis Lotharingiæ Colonellus Verni cum duabus Equitum turmis, quorum ope hoſtē repulerunt non ſine graui clade. Immortalem ſibi tunc laudem peperit Waltherus Deveroux, qui illic cum Imperio præerat. In Societatem vero fortitudinis eius venerunt Colonelli Worlochi, & Salomon de la Mouille. Vice-Colonelli D'esmond, Iacobus Gordon, Florinus Fûrſtennavv. Ioannes Henricus Gall vigiliarum Præfectus, Capitanei Stevin & Robertus Purcer omnes Iberni. Poſt hæc voluit hanc ſolui obſidionem Gallaſſus, quanta vero confuſione credi haud poteſt. Hoſtis videns noſtros vnde venerant redire magnis animis inſecutus eſt, noſtrosque validis armis laceſſiuit, tandem diu ancipiti pugna Galli in fugam abierunt, noſtri ve-

ro ad Mitbo castra seu statiua posuerunt.

CAPVT XXI.

De vlterioribus contra Gallos Progressibus.

AD Mirbo dum subsistimus, nulla memorabilis expeditio suscepta est, nisi quod tormentis bellicis se aduersarij exercitus impeterent. Summa hîc perpetienda fuit inopia, cui subleuandæ commodum vicesimo Nouembris adducti sunt centum currus commeatu instructi, quos commiseratione militum passim deficientium fame, ductus, miserat in exercitus aliquantulum refocillationem Gallassus. Quam hoc loco Burgundiones rustici cum nostro milite iniquè egerint, nemo mihi asserenti quamuis oculato testi credet. Hi militem sibi ante paucos menses salutarem morte & quidem violenta remunerati sunt, ita vt nec ipsis etiam primoribus

moribus exercitus pepercerint, si qua in eorum manus delaberentur. Ita semper beneficia aliquando præstita nauseantur, præstanda vero multis votis expetuntur.

Hic edocti sumus de clade Hatzfeldiaca quam Banirius prope Witstock intulit: iniuria an incuria nescio. Hæc fuit causa cur retro nobis cedendum fuerit. Allatum quoque est nuncium de Ferdinandi III. inauguratione in Regem Romanorum: quantam illa res in exercitu causauerit lætitiam calamus difficulter exprimet. Sed & in Hispania fama tam læti nuncij fuit celebrata; vt enim Illustrissimus Comes de Schönberg Cæsareus apud Hispanos Legatus ad Regiam aulam insperata hæc noua detulit Rex continuo insolita lætitiæ signa dedit captiuos etiã magni nominis vinculis eximi voluit, Festos ignes succendi, & ad duo Ducatorum millia in vulgus spargi.

Non multo post in Germaniam eun-

dum fuit cum omni exercitu, sæuiente frigore & altissimis niuibus, in quibus non pauci militum iam fame semianimes, reliquam emiserunt animam. Cum octauo Februarij Anni 1637. Syluam nigram (Germanis Schvvartzvvaldt dictam) transiremus, delatus sum in monasterium ordinis Cistertiensis, in cuius templo vidi columnas vtrimque duodecim vastissimę altitudinis ex vno Saxo continuo excisas, vidi & Bovinam pellem ex templi Tholo pendulam: quæ exuviæ illius pecoris dicebantur, quod dictas columnas in eum locum Olim adduxisset. Pellis hæc, fateor, tantæ erat latitudinis quantam vix esse posse existimassem nisi coram inspexissem: an vero vires bouis vnius tanto ponderi trahendo suffecerint, penes eos, qui id asserunt, sit fides. Hinc profecti sumus septimo decimo Februarij ad Fontem salutis, hoc est Heilbrun, quo in loco vidimus Eminentissimum Dominum Electorem Moguntinum,

Prin-

Principem Portugalliæ, Marchionem de Grana, Generalem Geleen. Dehinc in Franconiam iuimus, in via affertur nuncius de quindecim turmis Hassicis cæsis, curribus trecentis commeatu onustis, interceptis, quos ad Ernbreitsteinianam arcem suppetiatum miserant; Sicut etiam non multo post de ipsa arce tanti momenti à Ioanne de Werth capta. Adiacet hæc arx Confluentiæ ciuitati insigni quæ nomen habet à confluentia Mosellæ & Rheni.

Parta nuper victoria Bannericus exercitus totam late Franconiam, plurimo Francorum metu infestabat, huc ergo iussi sumus excurrere latrunculosque passim itinera infestantes compescere: vix hostis de nostro aduentu audierat cum per Syluam Thuringicam Erphordiam se subducit.

Mortuus est hoc Anno M. DC. XXXVII. Die quinta decima Februarij sempiternà memorià & longiore vita dignissimus Ferdinandus II. Imperator,

rator, multis calamitatibus diu exercitus cœlo maturuerat, in aduersis omnibus Fidelis DEI famulus, vir vitæ innocentissimæ, prudentiæ singularis, quem nisi cœlum terræ huic inuidisset dubio procul æternare debuisset in solio Romano. Magnifice ei Viennæ Austriæ in templo Patrum Societatis IESU, quos semper, totamque Societatem, vt filios dilexerat, parentatum est. Erexerant dicti Patres in medio Chori ante altare præcipuã magnorum sumptuum structuram tanto Cæsare dignam, quam castrum doloris vocant. Hanc structuram sicut & totum recens exstructum templum atro panno vestierant exornauerantque varia pictura & docto Emblemate. Dum vero nos in Franconia ageremus obtigit Capitaneis nostris Stevin, Purcel & Geraldino in Fuldensi Patria pagus ad quem rustici trecenti confluxerant Ligonibus aliisque similibus armis quæ cæcus impetus cuique dabat bene instructi vt

nostros

nostros illuc appropiantes prohiberent, de quibus cum monuissent Colonellum, Croatarum suppetias acceperunt hi obstinatos in proposito cinxerunt, partim interfecerunt, partim in captiuitatem abduxerunt, qui tamen post quatuordecim dierum carceres principis Herbipolensis precibus dimissi sunt. Francones quidem plerique sunt Catholici, ex ijs tamen præcipua nobilitas Lutheranum sequitur dogma. Hinc ortum vt cum nuper Nobilium bona fisco Cæsaris transscriberentur, Domini ad Saxonem Suecumque transierint.

Mense Martio tanta in Fuldensi Abbatia fuit rerum omnium penuria, vt equis & canibus mortuis non abstineretur, & hoc loco tamen post tam varia Cæsari præstita seruitia Hybernandum nobis fuit, non quidem id Imperatoris in nostros propensissima voluntate, sed eorum quibus omnis cura cõmittitur pudenda inuidia. Sed nec hic quidem

quidem diu ſubſiſtendum nobis fuit, ſub vndecimum enim Aprilis in Haſſiam euocati ſumus, vbi variè à Ruſticis infeſtabamur, quibus tamen ſemper ſuperiores eſſe conati ſumus. Die ſexto decimo Memingam venimus ductore Generali Geleen viro manſuetiſſimo Cæſarique perquam fideli, inde poſtea vlterius in Saxoniam progreſſi ſumus.

Capvt XXII.

De Succeßibus noſtris in Haßia & aliis partibus inferioris Germaniæ.

POſt diuturnam longiſſimorum itinerum emenſionem, & per varios principatus diſcurſionem in Haſſiam denuo rediimus An. M. DC. XXXVII. quarta & decima die Aprilis. Poſtquam enim noſtri felici auſpicio cecidiſſent duodecim hoſtium turmas de exercitu Banniriano, ad Comitatum Honſteinnenſem iuſſu Geleen Generalis noſtri tantiſper quieturi profecti ſumus per Gôttin-

Göttingam (vbi nuper Suedicus miles virum religiosum viuum & spirantem excoriauit) & Dutterstadium. Hic Croatæ nostri varijs excursionibus, hostium plures mactarunt. Die vicesimo octauo Aprilis ad Bleicherodam portentum se nobis ostendit, Nocturnis enim horis apparebat crux candida miræ magnitudinis in aëre, ad quam contemplandam plurimi omnis sexus, ætatis & conditionis homines docti indoctique euocati concurrerunt, variæque super ea re pro genio & ingenio cuiusuis dictæ sunt sententiæ, alijs bonum sinistrum alijs ex eo augurantibus. Postquã pauculos istic dies substiteramus, nocturnis diurnisque itineribus curriculo in Wanfredt nos transportare iussi sumus, ad occupandum locum quem hostis non multo ante aliquantum dirutum reliquerat; eum miles noster vt accepit facili labore reparauit. Hic in nostros Croatas hostis primo se vertit, cui ipsi strenue aduersati sunt, ac altero

die

die Maij Tribunum vnum cum sexaginta captiuis alijs ac centum Equis in castra nostra adduxere. Fortibus etiam prælijs hoc loco nobi cōfligendum fuit cum fame, cum enim & hominibus & pecoribus alimenta deessent, immaturæ segetes depascendæ fuerunt. Croatæ interim solennes suas excursiones continuarunt, ac multoties cētum ducentosues ab hoste captiuos reduxerunt, adeo vt totus exercitus aduersarius maturrima fuga sibi consulere coactus fuerit. Potuissemus tum commode omnem hostem extinguere, sed cum Generales longius à nobis distarent quorum arbitrio pugnandum erat, nec tam subito literæ perferrentur, occasio paulatim optima effugit. Sed & ipsi dum fugerent in Legionem Wahlij irruperunt & vnā prope turmam omnino pessumdederunt. Vicesima Maij Castra mouimus, præter vectique Mûlhusium & Langensaltz die tandem vicesima tertia Erfurtum attigimus. Non procul

procul hinc aberat Druckmûller cum Croatis & cataphractis, Hic vno impetu hostem aggreditur & bono euentu quadringentis captis sexcentos occiderunt, simulque cum impedimentis ducentos quinquaginta equos in nostra castra intulerunt. Intra huncmensem quo hoc loco subsistendum fuit, sæpius hostem ad pugnam lacessiueramus, sed cum nusquam compareret in campo iussu Generalium Geleen & Sperreuter ex improuiso ad arma conclamatum & classicum cantatum est, quod audientes aduersarij in aciem prodierunt, sæuoque prælio nobiscum congressi sunt, Hac pugna vtrimque plurimi ceciderunt, vulneratusque è nostris est Patritius Purcel supremus vigiliarum præfectus. Promouimus deinde castra, nunciosque Lipsiam ad Generalem Gallassum (illuc enim Pragâ dispositis Equis curriculo venerat) misimus, vt quid de cætero nobis agendum esset, intelligeremus.

Decima ſeptima Iunij Gulielmus Wimariæ Dux, noſtrum Generalem honoris gratia adijt pluribuſque cum eo perhumaniter locutus eſt. Dum vero nos ad Hatzfeldicas turmas pergimus veniunt in ſuccurſum noſtrũ decem Croatarum Legiones vna cum Legione Iunioris Wanglet & Legione Comitis de Broy, ita vt eadem hora ſimul in caſtra Hatzfeldica in quibus erat Gôtzius, perueniremus. Hîc dum aciem in Bannirium paramus, ipſe cum omni ſuo exercitu elabitur fuga, & celeri gradu, noſtris ſemper veſtigia hoſtium legentibus, Landſpergam diſcedit. Cum verò Gallaſſus certis nuncijs accepiſſet Bannirium cum exercitu trãſire in Pomeraniam quo contendebat, commode non poſſe, concilio coacto concluſit tranſitum ipſi præmiſſis ſelectis aliquot equitum turmis, præcludere. In hac ſtatione omnem quidem rerum copiam reperimus, præter aquam, cuius tanta fuit penuria, vt milites etiam

iam Paludes exantlarent, & arenoſam aquam per linea ſtrophiola decolarent. Indigenæ Vandalorum lingua vtuntur à quibus Ducem ſuum ſtemma ducere longa retro ſerie demōſtrant. Hinc per Fürſtenvvaldt ad Spream ſitum oppidum, Cuſtrinum contendimus. Eſt Cuſtrinum ciuitas ampla & fortis, quā præter valla & foſſas Odera circumlabitur, habet arcem forma & munitione elegantem. Hinc ſex tormenta maiora bellica petijmus & currus omni cōmeatus & munitionis genere inſtructos. Tota iſtic aula pullo amictu Cæſaris mortem lugebat. Optime igitur commeatu & armis inſtructi obſidionem Laudſpergicam moliti ſumus; ſed cum illam vrbem hoſtis egregie muniuiſſet, difficile fuit accedere, cumque propius ex vna parte caſtra metati eſſemus, non ſine clade recedendum fuit. Cum autem exercitum noſtrum hoſtis notaret, & milite conſtare ſelecto & animos ad expugnationem eſſe obfir-

matos, biduo antequam nostri animaduertunt ex alia parte, relicta vrbe, effugit.

Capvt XXIII.

De Progressu nostro contra Bannier.

BAnnierius igitur, vt paulo ante dictum est, fuga dilapsus, castra metatus est, iam se non amplius conclusis mœnibus credens, sub aperto Ioue, in liberrimo campo intra Custrinum & Francofurtum ad Oderam, tormenta maiora quæ vel sibi vsui esse, vel ob equorum penuriam promoueri nō posse præuidebat, partim comminui, partim clauis obturari, partim in paludes, ne hosti seuirent, abijci præcepit. Erant ad istum aditum vnde euasit custodiendum septem Legiones destinatæ, quæ pridie quam hostis fugeret inde sunt auocatæ, cuius consilio, quoue animo, dispiciant ij quorum curæ res erat commissa; cæterum indubitatum est quod hostis

hoſtis nunquam auſus fuiſſet tam ſtrictis anguſtijs concluſus, niſi ad certiſſimum interitum erumpere. Sub duodecimã ſequẽtis diei admouit Generalis Gallas omnium tormentorum maiorum arietes, factoque impetu nullo pene negotio Cuſtrinum in deditionẽ accepit, capto illic Vice-Colonello vno & quinquaginta circiter officialibus, reliquus miles Cæſari iurare coactus eſt. Hac nocte noſtri Dragones cum alijs Legionibus ad hoſtem inſequendam miſſi ſunt. Ductoribus Comite de Schvvartzenburg, Petro Gotzio. Cum in Quensburg veniſſemus, ſolennes Gotzius inſtituit epulas, adeoque ſe (pudendum dicere) vino ingurgitauit, vt ne teſſeram quidem militaré excubitoribus dare poſſet, quod tanto magis periculoſum erat, quanto hoſtis erat vicinior. Ne tamen omnino ſine militari teſſera tunc ageremus, excubiarum præfectus cum multis Gotzium temulentum ſollicitaſſet nec vl-

las articulatas voces ab eo exprimeret, inarticulatam tandem notans, eamque ceu tesseram sibi datam interpretans, reliquo militi distribuit. Postero die ex insperato hostis classicum cani iubet, & contra nostra castra progressus prælium offert: cum verò nostri vnà non essent, cessere aliquantulum, mox vero per Custrinum pergentes reliquo nostro militi se iungunt vt in hostẽ denuo irent; quem viriliter aggressi fuderunt. In hoc prælio Brandenburgicus miles prę reliquis laudem tulit, Ipse enim Serenissimus Brandenburgiæ Dux propriam suam Legionem emisit, quæ adeo fortiter in hostem perrexit, vt pręter cæsos mille quingentos in captiuitatem abduxerit. Confecto prælio Serenissimus Elector Brandenburgicus Gallassum cum omni prope Ducum turma ad mensam inuitauit. Inter prandendum de fide militum in Cæsarem orta sermocinatio; vbi mentem suam non celans Elector disertè dixit,

mirari

mirari se Cæsareanorum Ducum vecordiam, qui cum hostem conclusum, non secus ac piscem reti aut leporem plaga venatoria habuissent, tã temerè falli siuissent. Quod cum Gallassus variè excusare conatus fuisset, tandem adiecit Brandenburgicus: Etsi ego de ruina Patriæ parum sim sollicitus, quandoquidem totum Imperium pessum ire video, hoc tamen scitote me Imperatori meo fraudes vestras accusaturum; atq; ita mensis sublatis vtrimque digressum est.

Post exiguam paucorum dierum moram, nos Strausbergam mouimus, Marchio verò Brandenburgicus Custrino Berlinum profectus est, quo in itinere Cæsaris equitatus currus Electoris inuasere, contra quos suam Elector emisit Legionem, qui paucis cæsis plures captos abduxerunt, & mox ex captiuis vnum ad suspendium condemnarunt. Interea crescebat indies fames ex defectu molendinorum, ita vt peditatus

noſter magna premeretur victus diffi-
cultate. Dragones noſtri ſyluam tunc
forte pro ſtatiuis occupauerant, in qua
ſollicitè ipſis aduigilandum erat, non
quidem hoſtilis irruptionis metu, ſed
noſtrorum potius latrunculorum inſi-
dijs, in ſingulas noctes nunc hac nunc
illac excurrebant, ſocijſque equos ab-
ducebant. Hic dum fames nos mul-
tum exagitaret, Brentzlauiam & iſthinc
Nouum Brandenburgum ire coacti ſu-
mus. Dedit verò nobis Gôtzius ad ci-
uitatem literas, vt nos ad tempus intra
mœnia admitteret. Huc dum venimus,
iam occultis curſoribus contra manda-
uerat, vt nos vrbe excluſos neutiquam
ſuſciperent: atque hoc modo nos egre-
gius deceptor luſit. Pernoctandum igi-
tur nobis fuit in ſuburbanis pomærijs.
Adueniunt interea quadraginta Ad-
uerſariorum ſigna Dragonum aliorum-
que equitum, quæ cum omnibus excu-
bijs vacuas repetiſſent portas libere ſub
octauam nonamue matutinam ingre-
diuntur,

diuntur, explicataque in medio fori acie, omnia quaqua versum mactant, ipsumque loci Gubernatorem in plumis adhuc hærentem extrahunt & captiuum custodiunt. Nostri interea ex alia parte, vt in vrbe tumultuari audiunt, tympani sonitu omnes ad arma & suppetias oppressis ferendas excitant, qui tum per portam vt ante pansam ingredi sperãt obductis valuis minus tantum ostiolum patere reperiunt, per quod ingredi tutum haud erat: Effundunt interim se turmæ integræ in nos, & cum duobus vexillis eripiunt nobis duos Vice-Colonellos Scotos duos Tribunos Ibernos pluresque alios, omniq; impedimenta nostra diripiunt. Nostris interim retro Brentzlauiam cedentibus. Hic ciues miserationis affectu tacti, suburbium iam ab equitatu necessarijs omnibus nudatum nostris attribuunt. Vide hoc loco Amice Lector, quam præclara Imperatori suo multi Generalium pręstent seruitia, qui

nil pensi habent, perdaturne patria & miles ipsis commissus, modo ipsorum vnà cum ventre loculi turgeant, ad potandum sunt strenui, contra hostem ignaui. Habebat hic Petrus Götz in mandatis à Domino Generali Gallas, vt patriam Mechleburgensem præstaret ab hoste indemnem, cui tamen ipse solus cum vnica Legione sua Equestri, plura damna intulit, quam inferre potuissent hostium plurimæ turmæ. Hæc legio Duce Generali vel annuente vel dissimulante, multas boum centurias in Silesiam abegit. In homines porro Nobiles tam fuit sæua hæc legio vt Vir ex equestri nobilitate grauissimus mallet vna cum charà coniuge & dilecto pignore filio ex Furstenberg potius in aquis vitam exuere, quam in tam insolentis militis manus delabi. Quidquid Incolarum huc vsque varijs cladibus superfuerat, cogebatur vitam cymbarum ope, in paludibus palustribusque locis seruare. Sed nec à se mutuo ma-

nus

nus abstinebant; Iuerat forte Centurio cum quinquaginta militibus vt siliginem in proximo molendino moleret, cum ecce tibi adsunt personati prædatores isti, qui Centurionem vna cum saluo conductu sibi adiuncto miserandum in modum interemerunt, atque ita nobilissima hæc patria latrocinantium libidini relicta, pessum omnino ruit.

Ad nouum Brandenburgum interim Sueci rem dolis agunt, multosque è Cæsareanis ex insidijs obruunt. Hanc eorum audaciam intelligens Gallassus Oderam duplici ponte sterni imperat, quibus totum exercitum traijciat, impetatque hostem Suedinum tunc insidentem. Hostis nostrorum aduentum vt primum resciuit, pauculis Suedini relictis præsidiarijs, Stetinum ciuitatem, Pomeraniæ Metropolim discedit, ibique se ad omnem impetum fortiter cõmunit. Gallas porro vicesimo secundo Augusti Guartzium progreditur, vnde

Colo-

Colonellum Deueroux cum ſuis Iber-
nis Furſtenbergam mittit; eſt ea ad Ha-
vel fluvium, clauiſque ſeu ingreſſus in
Mechleburgenſem Ducatū, illuc dum
veniſſet reperit Gotzianos latrunculos
non plures quam ad centum redactos,
qui cum negarent parere Imperijs Gal-
laſſi, ne quod aliud inde eueniret incō-
modum, pulſis illis vi locum occupa-
uit: ne tamen ipſi inulti abire videren-
tur oppidi totius feneſtras & fornaces
omnes comminuerunt, Eccleſiam ita
defœdarunt, vt etiam ventris onera vel-
uti in proſtibulum aliquod illic depo-
ſuerint. Putabant tunc quidem aduer-
ſarij, fore vt Gallas Stetinum obſideret,
cum ipſe ſe ex inſperato ex vertit verſus
Anclavv. Hinc noſtri equites varijs ex-
curſionibus hoſtium plures ceperunt,
inter quos & Oxenſtirnium quendam
Suedici Cancellarij Fratrem. Tabel-
lionem quoq; qui Hamburgo ad Ban-
nierium literas deferebat, quem ad Ge-
neralem abduxerunt, qui lectis literis
faſcicu-

fasciculum Viennam ad Cæsarem & Cæsarianos Consiliarios transmisit. Hoc eodem tempore Saxones ex omnibus Albis Fluuij portubus Suedicos milites pepulere.

CAPVT XXIV.

De vlterioribus Successibus contra Suecos.

VInariensium Dux Bernardus postquam audiuit Generalem Gallas contra Bannierium nuper è Burgundiâ euocatum, rem strenue agere; videretque Serenissimum Lotharingiæ Ducem Carolum, cum Picolominio contra Gallicas copias aliunde impeditum, ad Rheni ripas se quantocyus conuertit, vt militem suum, multis belli famisque calamitatibus fatigatum in Bauariæ partibus, vbi sciebat rerum omnium affluentiam etiam nunc ad victum suppetere, nonnihil recrearet: excitato itaque ponte nauali, ad quem

quem Argentoratenſes hinc, iſtinc Baſileenſes egregiam opem & operam cõtulerunt, ſumma cum feſtinatione inter Briſacum & Argentinam Legiones aliquot equitum tranſmiſit; Aggreſſuſque ex inſperato quinque Legiones ſub Duce Ioanne de Werth in pago quodam ſine hoſtis metu diuerſantes, fudit fugauitque. Cuius cladis nuncius vt primum ad Ioannis Werthi aures allatus eſt mox collecto equitatu magnis itineribus contra hoſtem excurrit, in quem nil minus quam de aduerſarijs cogitantem, iamq; aliquot Legionum exterminatorem irruit tantis animis, vt primo ſtatim impetu quatuor Legiones internecione deleuerit, reliquum autem hoſtem in turpiſſimam fugam cõiecerit, coëgeritque ad propugnaculum, quod ex hac Rheni parte in aditu pontis ante excitauerat recipere greſſum, ac non multo poſt accepto à Lotharingiæ Duce quinque millium ſuccurſu in vlteriorem Rheni ripam vnde

vene-

venerat redire non sine sanguine compulit. Mense Iunio Lotharingus & Marchio de S. Martino rem strenuè egerunt contra Gallos, cum enim vterque exercitus in planicie quadam sibi occurrisset, sine prælio istinc discedere principes iniquum duxerunt, ad arma ergo vtrimque conclamatur, concurritur acriter, ceduntur ex vtraque parte plurimi: sed cum Galli nostris essent & numero & viribus superiores, paulatim cedendo Lotharingus exercitum suum in tutum appulit locum, ex quo se egregiè defendit licet maiore suorum quam hostium clade. Dedit hæc pugna Inuidis materiam multorum sermonum, quibus optimum Ducem vehementer traducebant, quasi non coactus, sed temerè & imprudenter in hostem mouisset, parumque fidelis Imperatori, exercitum tam nobilem vltroneis periculis exposuisset sine vlla necessitate. Sed hęc omnia falso & sine vllo fundamento. Nam esto pugnarit quandoqe dictus

ctus Dux irato Marte, & quis est qui fortunam propitiam ad nutum suum semper pera circumferat? & alij iniquiore arte alibi pugnarunt, an ideo Cæsari infideles condemnati sunt? cur vero hic potius quam quiuis alius? Itane verò infidus Cæsari dicatur, qui pro Cæsare Patriam, subditos, opes, vitam vsque adeo & sanguinem non vulgaribus & occultis exposuit discriminibus? vellent vtinam superi vt reliqui hucusque duces Cæsari tam fidelem nauassent operam, non vtique gemeret sub iniquissimo pressa iugo & prope oppressa Germania, totumque Imperium Romanum. Noui ego quam varij Duces à belli huius primordio fidem suam Cæsari probarint, sed nullum scio qui non aliquando contrario Marte in hostem iuerit. Sed & hoc scio fideles etiam nunc esse proceres puta Generalem Gallassum, Ducem Florentinum, Baronem de Suis, Geleen, Ioannem de Werth, Hatzfeldium, &c: quos numerare

merare longum foret, inter multos paucos retulisse sufficit, sed certo tibi affirmo inter hæc fidelissima Cæsari capita rectissime & suo iure adnumerari illud Belli fulmen Ducem Carolum. Quem si æquior fortuna propitio magis contueretur vultu, responderentq; votis facta, ipsi æquales paucos superiorem nullum censeret Cæsar. Macte Dux Serenissime macte animo erit cum tibi sera posteritas plaudet, atque æternitati te doctissimorum prudentissimorumque virorum fasti adscribent. Vos vero iniqua turba Zoili, rumpamini licet inuidia, eius quem maledico dente roditis gloriam nullo vnquam æuo assequemini, facile est cuiuis taxare facta aliena, melioribus auspicijs aggredi hoc op⁹ martij est pectoris, & beneuolentis fortunæ. Agite si viri estis, eas quas inique acquisiuistis contra ius fasque diuitias, in Domini vestri seruitia & militis egentis commoda profundite, cogite manipulos militum in Cæ-

ſaris arma promptos, agite non ſecus abſente quam præſente Cæſare quam poteſtis & debetis, fortiter, nunquam minimam laudis partem Ducis huius attingetis. Sed mei inſtituti hoc loco non eſt Panegyricum texere, alterius olim hoc erit operæ, ad Hiſtoriam ac iter meum vnde nonnihil deflexi, redeo.

Decima Septembris Generalis locumtenens exercitus Ligæ Ioannes Gôtz cum ſuo exercitu lento omnino gradu quaſi inuitus Weſtphaliam verſus abijt. In Pomeraniâ interim res fortiter gerebatur. Obſidebant tunc forte hoſtes Damin vrbem in primis nobilem, occupaueratq; iam fortalitium aliquod, ad quod recuperandum miſſus eſt Hiſpanus quidam Colonellus (Don Felicem appellabant) cum vicetribuno Iunioris Wangler, qui tanto impetu irruerunt vt hoſtem inde eiectum repulerint, iniuriam hanc vindicandam in ſequentem diem hoſtis reiecit, quo admotis tormentorum bellicorum

licorum machinis ita locum illum labefactauit, vt pars vna collapsa sit. Simulque impetu facto recuperarunt cesis plerisque militibus, captoque Duce. Hunc hostium conatum promouit tarditas eorũ qui succurrere in tẽpore debebant, cum enim Gallassicus miles non nisi media Leuca distaret, facile malo remedium ferre potuisset, hostiumque audaciam nullo pene negotio infringere: dum vero post festum, vt aiunt, pergitur in succursum iam cæsorum, in via stragis nuncius adfertur quo attonitus Generalis Gallas, cum hostem fortiorem quam erat crederet, nonnihil substitit quoad Saxonicæ copiæ suis coniungerentur. Septima decima Septembris Suecis proditur Suetinensis præsidij aduentus vino & commeatu alio optime instructus, in quod, emissis selectissimis suorum equitum turmis, irruunt ereptisque quæ secum ducebat, ceciderunt alios ex militibus, alios captiuos secum abduxe-

runt. Vicesimo Septembris dum propius Damino admouetur exercitus noster, ab hostibus hinc inde nobis insidiantibus aliquid stragis patitur. Nihilominus Iberni nostri cum alijs Legionibus quibusdam ad expugnandam Arcem Plavv mittuntur, quam feliciter vicesimo octauo Septembris occuparunt, militi præsidiario vitam concedentes incolumem. Intellexerat forte Gallas militem circa has partes alicubi hærere copiosum, quem, quia hostilis erat, vt obrueret emisit è nostris pluscculos, quod ipsum hosti innotuit, vnde ipse quoque ad quatuor millia suorum destinat contra nostros cum quatuor tormentis bellicis maioribus, cum vero vtrimque exploratores referrent varia, neutra pars alteram aggredi ausa est, sicque re infecta inde discessum. Sueci interea, ne quid alibi negligerent Fridlandiam in cessiuere, nostrosque in deditionem coëgere pacta quidem libera discedendi copia, qui tamē

postea

postea promissis non steterunt, compulerunt enim omnes volentes nolentesque ad arma pro Sueco ferenda. Die sexta Octobris mouit castra Gallassus quæ hucusq; circa Saltzburgum fixerat, venerant enim ex Ducis Saxoniæ milite sane selecto & optime armato nouæ suppetiæ, iuitque contra Suecos in Dederau. Die octaua misit Generalis noster quingentos milites omnes officiarios, vtpote Capitaneos locumtenentes vexilliferos contra quosdam Suedicos, ex quibus aliquos captos adduxerunt; vicissimque ex nostris aliqui ad hostem ducti sunt. Dum in confinijs Pomeraniæ hæremus, ad Tussyn vrbem mittuntur Colonelli Deueroux, & Gall, ad occupandum Ribeneck passum magni momenti, quem iam, inscio tamen Generali nostro, insederat Generalis Wangler. Hunc cum prope vrbem reperisset Deueroux ratus hostem esse, contra ipsum ire cogitauit, sed vicinior ex papilionibus agnouit ex

uit ex nostro exercitu esse militem: inuisit igitur Wanglerum illic præsentem à quo benigne acceptus est, literisque ad Gallassum datis de castris hostium eorumque consilijs dictos equites remisit. Die vndecima missus est Generalis Salis contra hostem, quem tamen tunc aggredi non potuit. Die duodecima hostis plena acie, tormentisque bellicis in ordinem dispositis contra nostros egressus est, putabamusque certo committendum esse prælium, sed cum à colle quem insederat, recedere in planiciem, vbi nostri operiebantur, nollet, nihil tunc quidem actum est. Hic dum aliquamdiu subsistimus affertur ad nos mors Landgrauij Hassiæ. Hoc eodem tempore imprudentia Petri Gôtz cum ex Suetin in Brenlo duceret legiones aliquas, quinque ab hostibus interceptæ interierunt. Sexta decima Octobris sub noctem classicum cecinit noster exercitus, ideoque nostri varijs

parti-

partibus egreſſi varios ex hoſte captiuos adduxerunt. Nona decima ſub veſperam egreſſi cum tribus equitum millibus bidui itinere, nil quidquam de hoſtili exercitu deprehendere potuimus. Viceſima ergo ſecunda Octobris caſtra denuo mouimus in Tuſſim, hoſtis vero in Suetin profectus eſt, ſperans illum locum & tranſitum ante recuperare, quam Callaſſus aduenisset, quem tamen mox nil quidquam cunctatus perſecutus eſt.

CAPVT XXV.

De Progreſſu noſtro contra Suecos in Pomeraniâ.

CVm Generalis noſter vna cum toto exercitu Neobrandenburgo approximaſſet, mox vigeſimo octauo Octobris miſit Vice-Mareſchallum Comitem de Ridberg cum Legionibus aliquot, vt de itineris qualitate recognoſceret, ipſe autem tantiſper Mel-

chini ſubſtitit; habet Melchin aditum arctiſſimum, ita vt vix quadriga commodè tranſire poſſit, ex vtroque latere præcipitia ſunt immania, foſſæque plurimum lutoſæ, in quas qui quis præceps ierit, eum perire omnino neceſſe eſt. Hic cum impedimenta noſtra nimium accelerarent, alijque alios præuertere vellent, multum dani & currus & homines tulere præcipiti ruina vtrimque in altiſſimas foueas delati. Quinta & vigeſima die Octobris Neobrandenburgũ tranſiuimus, & cum iſtinc in Brentzlau contra hoſtem, qui illud obſidere dicebatur ire vellemus, nunciatum eſt, eum Suetin obſediſſe, magnis itaque itineribus, nocturna ſimul & diuerſa feſtinatione illuc accelerauimus; cum vero in conſpectum Brentzlauienſium veniſſemus, hoſti de aduentu noſtro nunciatum eſt, qui mox ſoluta obſidione, euaſit: poſt quem miſit Gallaſſus Comitem de Buchan Generalem
vigilijs

vigilijs præfectum cum selectissimis equitũ turmis qui eos insecutus nõ paucos mactauit captis plusculis & ad castra nostra ablegatis. Sequenti die in succursum, ne quid forte Bũchan pateretur incommodi submisit alterum Generalem vigilijs Præfectum Bredavv cum Dragonibus quos duxit cum imperio Colonellus Deueroux, qui Tripsesium versus direxerunt iter, atque cum commodum ductorem nacti essent virum militarem, quique olim sub Sueco stipendia meruerat, sed ob iniuriam sibi istic illatam missionem obtinuerat atque ad Cæsarem transierat, eius consilio, Scaphas quarum auxilio militem per flumẽ traijcerent curribus latenter imposuere concitoque cursu Tripsesium festinarunt, à quo cum non nisi dimidia abessent Leuca, præmiserunt Ibernum Anglicani Idiomatis gnarum, qui nunciaret Legionem vnam suppetiatum Tripsesianis venire, aperirent modo portas & a-

micos intromitterent. His ita constitutis pars Dragonum comitatur ductorem Ibernum, pars altera interim per flumen ducitur atque dum isti ad portam Commendantis ex vrbe operiuntur responsum, hi vtrumque propugnaculum occupant omnibus in ijs hostibus mactatis, idque sub noctis duodecimam die quinto Nouembris Anno M. DC. XXXVII. occupatis hisce propugnaculis facile fuit reliquos in deditionem cogere. accensa enim face vti conuenerat, vt à socijs conspici posset in auxilium alios aduocarunt, ac mox duabus post horis pacta inter Deueroux & Tripsesianos cōclusa, vt quatuor Anglorum turmæ cum quatuor tormentis bellicis omnibusque impedimentis egrederentur ac in tuta loca deducerentur, quod & factum. Hic cum cognouisset Generalis Bredavv de Vrangelij milite per pagos dissipato, multa cum acceleratione in eos ire parauit, cum vero iam ipsis de

Tripſeſianâ deditione innotuiſſet, ſuis viribus ita ſparſis diffiſi ſunt, atque in immani planitie ſe coniunxerunt; Hic eos nihilominus Cæſareani adoriuntur, præliumque, non minoribus hoſtium animis, committunt quoniam vero Cæſareani pertinaciſſimè contra hoſtem ſtabant, nec pedem retro mouerent ad eorum partes victoria inclinauit; In illa plane ſanguinolenta pugna primas tulit Generalis Bredavv qui primus in acie decertans educto gladio hoſtem cæſim punctim feriens multam edidit ſtragem, ſuorum vero animos mirum quantum erexit. Cæſareani vexilla omnino decem; Ex quibus equeſtria novem ab hoſte retulerunt, horiſque pomeridianis eiuſdem diei ad Kilſo ipſi ſuæ victoriæ nuncij appulerunt, captiuos quoque adduxerunt ViceColonellum, vigiliis prę fectum cum multis alijs Ducibus, Cæſorum numerus iniri non potuit. Reliqui hoſtium Stralſundiam fugam direxerunt.

Circa

Circa hæc tempora cum Bredana ciuitas ab Hollandis arcta premeretur obſidione, adeo vt ab Hiſpanis nulla ratione ei ſecurri poſſet, Hiſpaniæ Infans Princeps Cardinalis vt hoſtes ab obſidione diuerteret ad Venlo copias ſuas admouit & intra paucos dies cæpit, ſicut & Rurimundam. Non ideo hoſtes à Bredanâ obſidione diſceſſere, imo eam acrius vrſerunt, & licet præſidiarij fortiter Hollandis reſiſterent, non diu tamen obſidionem ob defectum rerum ad reſiſtendum neceſſariarum ſuſtinere potuerunt.

Interea Generalis Bannier exercitum ſuum ad orientalem Oderæ partem traduxit, diſtento tunc forte Gallaſſo in Suetinenſi recuperatione. Quo miſimus pro ſuppetijs duo millia peditum quæ vt primum appulere, ſub quartam mox matutinam cum quatuor tormentis bellicis aduerſus Luez commigrauimus. Miranda mihi hoc loco obtigit Pomeranorum conficiendæ ce-

dæ ce-

dæ cereuisiæ ratio. Ipsi enim primo Hordeum madefactum quo citius excrescat ad vnam septimanam exsiccant deinde mola ruditer commolitum cum reliquis lebeti ingerunt, coctam postea cereuisiam intra viginti quatuor vel triginta horas ita defæcant, vt pura sit & sapida non secus ac si pluribus hebdomadis deferbuisset. Quæ quidem cereuisia nisi intra dictum tempus ex aliqua parte distraheretur, certo quantocyus in acetum abiret.

Vndecimo Decembris nostræ Cæsareanæ copiæ Fortissimum Castellum Luetz in editiore colle situm in potestatem redegerunt, ducentisque præsidiarijs Suecis ex pacto abitum & saluum conductum permiserunt. Tertia decima huius Comes de Ridberg collectis in vnum cataphractis è castris recessit, quem sequentibus duobus diebus mox secutus est cum omni prope exercitu Gallas. Qui in via obuium habuit Franciscum Albertum Saxonem

quocum bellica negotia pertractauit. Bredavv cum suis equitum turmis versus Anclan direxit iter.

Capvt XXVI.

De calamitate Pomeraniæ.

POstquam Cæsareani coëgerunt Suecos in magis munita secedere loca, vt vel istic ab impetu nostrorum se defenderent. Continuo Generalis Gallas in varia agmina diuisit exercitum, & munitissimas vrbes in potestatem Cæsaris redigendas inter Duces partitus est. Ipsi quam primum ita se diuiserunt, vt simul præscinderent commeatus subuectionem Stralsundianis, Anclanis, Grypsvvaldensibus & Daminensibus, atque ne qua ex vlla parte aduehendæ annonæ spes ipsis relinqueretur, vastarunt totam circumquaque prouinciam, vt intra multum tempus hostilis exercitus sperare non posset vitæ subsidia. Idque factum reor

iusto

iusto Dei Iudicio, vt scilicet illa patria quæ prima Suedicas turmas contra Cæsarem admiserat, illis bellorum calamitatibus premeretur, quibus ipsa Imperium Romanum affligere posse putarat. Cum ergo Suedicæ copiæ nullum commeatum quam per mare habere possent, cepit mirum quantum diminui eorum exercitus, ita vt cogeretur Vrangel suos in multa loca non sine aperto sui suorumque discrimine dispergere. Submittebat quidem, quamuis rarissimè, pauculas nauiculas Frumento onustas Bannierius, sed vel illæ intercipiebantur, aut si appellerent inter tot milites parum proficiebant. Laudandum eò amplius est insigne Gallassi stratagema qui tam dextrè vno eodemque tempore copias suas diuisit, vt & illæ vrbes simul obsiderentur & obsidentes sibi mutuo, si necessitas exigeret, succurrere maturè possent. Ipse porro Gallas constituit se in certum locum prope Luetz,

vnde

vnde omnibus imperia distribueret. ac primo quidem Ducem insignem Bredavv Wolgastium adoriri voluit, in quo arx erat ex Pomeraniæ Principibus, quæ etiam præsidij loco habebat Suedicas legiones cōplures, ita vt Officiarij (ipsis ciuibus attestantibus) essent circiter trecenti. Bredavv vt primum hoc mandatum accepit Dragones nostros (septingenti, non plures, eramus) ad impetum faciendum hortatur. Quis hîc non incuset Ducis imprudentiam, nisi quandoque militibus audendum esset, cum audaces fortuna iuvet, ignauos timidosque premat. Nostri itaque vespera patrocinante, & timore, quo hostes erant perculsi fauente in propugnacula priora ferocem dant impetum, sed non vanum: His expugnatis in fortissimam & munitissimam arcem quam sibi hostis pro vltimo subsidio elege erat facilius iam erat eniti in quam non multo post enixi sunt & feliciter expugnarunt.

Quam-

Quamuis hæc quidem expeditio aliquo vtrimque ſanguine ſteterit, quia tam fauſtum habuit ſucceſſum, facile reſarcirũ eſt. Ex Legione Colonelli Deueroux viginti omnino occubuerant, læſi autem ſunt pluſculi ex quibus Capitaneis Kinge brachium globulo vulneratum. Interea imprudentia Petri Gôtz Cuſtrini duæ Legiones Cæſareæ ab hoſte ceduntur, quam iniuriam vlturi ſocij, cum non poſſent aliter nocere hoſti, molas omnes & Damino & Anclauiæ adiacentes, concremarunt. Erat forte non procul inde Inſula Jiſdum dicta, in quam ſe cohortes aliquot cum impedimentis ſuis receperant, ſperantes vel iſtic tutæ eſſe, quas vt animaduertit Bredavv, magnam nauigiorum copiam ad fluvium Pein collegit, quorum ſubſidio die decima Decembris noſtros Dragones Equiteſque alios tranſmitti fecit. Præibat cum ſuis Colonellus Meider quem ſequebantur Colonelli Silhoë, Deueroux, &

Corraſchie, cumq; de viribus hoſtium facti eſſent certiores, Tertio Ianuarij in aduerſarias Turmas incurſum fecerunt, omnes internecione delerunt, impedimenta vero in caſtra ſecum auexerunt. Interea cataphracti Comitis de Broy & Colonelli Milheim Tabellarium comprehenderunt qui à Iuniore Vrangel ad Seniorem cum literis ibat, quibus ſuam ſuique Generalis Bannierij miſerias lamentabiliter conquerebatur: Has literas ad Gallaſſum detulerunt, qui eas lectas, quam primum ad Bredavv deſtinauit. Sub idem tempus Sereniſſimus Florentiæ Dux aliquot peditum agmina, & paucula tormẽta maiora applicare volebat ad cogendum Wolgaſtianam arcem.

Innoteſcit interea noſtris Generalem Bannier non procul inde in munitiſſima aliqua Inſula Molyn dicta in qua munitio erat ad cogendas ad vectigal omnes naues Stetinum præternauigantes, neſcio quas ſocijs obſeſſis

ſuppe-

ſuppetias moliri, ex noſtris ſæpius iam nominati quatuor Colonelli Sichoë, Deueroux, Corraſchi, & Meider ſe in eandem Inſulam tranſmitti cum ſuis faciunt, cumque duabus noctibus iſtic latuiſſent commodum operiẽtes tempus canendi ex improuiſo claſſicum hoſtemque terrendi, militem ſuum quam poſſunt latiſſime explicant, & primo quidem Dragonum turmas aliquot, tum equites, poſtremo Dragones alios pedeſtres ita ordinant, vt copiæ viderentur duplo maiores, atque ſic in hoſtem eunt, eumq; in fugã conuertunt. Tantum eſt militem nauos fidoſque nanciſci Duces. Hoc auſim ego de Germano milite etiam iuratus aſſerere, fortiorem illo haud reperiri, ſi modo fidi Generalis ductum obtineat, Hic enim dum propoſita concluſaque conſilia quam mox exſequitur, militem habebit ad ſua imperia promptum, ſecus, ſi differat ignauiam in Teutonico animo cauſabit. Non at-

tinet pluribus id demonstrare exemplis, habet Lector à multo tempore experientiam, quam nobiles sæpe exercitus funditus perierint Ducum solummodo cunctatione. Quo maiorem meretur laudem strenuus dux Bredavv qui quidquid egit fide & celeritate recte peregit, queis sine maximi etiã duces ne gregarij quidem militis merentur nomen. Sed ad Ducem Florentinum reuertamur qui se ad Wolgastianam expugnationem fortissimum ostendit militem: Postquam enim de necessarijs omnibus ad eam expugnationem prospexisset, duplexque propugnaculum in vsum bellicorum tormentorum egessisset, nauigiaq; pluscula compingi curasset, in quorum fronte crassiores asseres vndique perforatos erigi curauit, qui & suos defenderent ab hostili eiaculatione, & suos non impedirent ad eiaculandum in hostes, ponte denique etiam strauisset lacunam illam, quæ inter ciuitatem ad arcem

cem aditum prohibebat, nono Decembris sub seram vesperam, & decima eiusdem matutinis horis, tam ferocem qua maioribus tormentis qua fistulis minoribus fecit impetum, vt hostium nemo auderet vel tantillum è mœnijs prominere. Vbi vero Dux Florentiæ vidit bonã clathtorum partem esse disiectam, ad refocillationem militis vini cereuisiæque dolia aliquot expromi iussit, quibus epotis milites animosiores sub vesperam eiusdem adhuc diei fortalitia scandere ceperunt, quæ primò statim insultu (vt supra dictum) occuparunt trucidatis trecentis aduersariorum. Ceperunt tunc quidem Colonellos tres, ViceColonellos quinque, vigiliarum Præfectos totidem & quadraginta quinque Capitaneos, vexilla obtinuerunt quadraginta quatuor, tormenta bellica maiora aliquot. Visæ quidem dicuntur Suedicæ aliquot naues in succursum destinatæ iuxta Iisdum, sed cum impetum nostro-

rum tam vehementem viderunt, non ſunt auſæ propius accedere, ſuccenſis itaque in Inſula leuibus aliquot tuguriolis, retroceſſerunt. Sed & ipſe Generalis Bannier haud ſibi Stetini fidens Wolinū abijt. Mox ab expugnatione imperauit Florentiæ Dux, vt in prouiſionem huius loci, militumque ſuſtentationem omnia totius Inſulæ pecora Wolgaſtum adducerentur, ac rite omnibus ordinatis tormenta ſua bellica primo in caſtra reduci curauit, Inde vero Daminum, de quo obſidendo noũa indies conſilia agitabantur.

CAPVT XXVII.

De Pomeraniâ.

NOn minus prudenter quam fortiter Excellentiſſimus Dominus Generalis Comes de Gallas rem bellicam hoc tempore adminiſtrabat. Enim vero cum Generalis Bannier putaret fran-

frangere, vel certè vt minimum fatigare Cæſareas copias ſeſe continendo intra arctiſſimos Pomeraniæ meatus, ad quos, quoquo ſe verterent, difficile erat noſtris penetrare, poſt multas quidem moleſtias exantlatas, in auctorem tandem propoſitum retorſit. Poſtquam enim ad Roſtockium fixiſſet caſtra militi noſtro aliquid quietis indulſit, quoad Bannierіcus exercitus laſſus Suetinum ex latibulo ſuo exijt, relictis circa Damgardt & Tripſeſium Vrangelij copijs, quæ in Cæſarianas ad vigilarent, eum ſine mora ſecutus eſt Gallaſſus. Interea S. Cæſarea Maieſtas de milite ſuo ſollicita, ne ob continuas diutinaſque migrationes aliquid hoc loco incommodi pateretur, eum in hyberna ducere cogitat, nil monita de noſtris contra hoſtem ſucceſſibus; ſed Gallas cum Fortunam fauentem haberet, ea vlterius vti voluit. Interim Mareſchallus Ligæ Ioannes Gotz Landgrauij Haſſiæ exercitum, tam in Weſt-

phaliæ

phaliæ quam Hassiæ finibus adeo debilitauit, vt primores Cattorum proceres de pace cum Cæsare restauranda, militeque dimittendo consilia tractare cœperint. Hoc fere eodem tempore de centum & quinquaginta hostium nauibus in nescio quam expeditionem præparatis nobis nunciatur, in quas cum nostri sedulo intenderent, nil quidquam tunc quidem attentarunt.

Nec in Alsatia minores progressus tunc agebat Ioannes Werthius contra Wimariensium audaciam: cum quibus quotidianis velitationibus agendum erat. Emiserat Dux Bernardus Magistrum quendam Equitum cum octoginta Equitibus, vt de hostium commoratione & consilijs disquireret, qui cum aliquantum amplius progressus fuisset quam debebat, à tribus Legionibus Werthianis cingitur, ipseque cum sexaginta Equitibus capitur. Huius cladis nuncij cum reliqui viginti ad castra sua redijssent; iubetur

confe-

confeſtim Colonellus Noa cum tribus turmis contra Cæſareos egredi, ſed & hi à cataphractorum quinque turmis diſſipati ſunt, in quorum ſuccurſum decem turmas ablegauit Wimarienſis, & ipſe ex Bottendorffianâ legione manipulum eduxit, ſed cum Cæſareanos videret ſtrenuè & abſque vllo metu in ſuos ire, retroceſſit. Eoque tempore Werthiani, erepto vno ſigno Equeſtri captiſque vno præfecto Equitum & duobus locumtenentibus cum quadraginta Equitibus ceciderunt quinquaginta Wimarienſium.

Accerſitus eſt ſub hæc tempora à Galliarum Rege Sereniſſimus Sabaudiæ Dux Victor Amedeus Pariſios, vt coniunctis conſilijs de bello contra Hiſpanos in Italia promouendo tractaretur; Quò magis in pacem quam bella pronus optimus Dux vna cum Comite de Verua abijt. Sed non multo poſt cum domum redijſſet ex inſperato vna cum dicto Comite ſuo mortuus eſt,

cumque iudicio medicorum mors illa medicato poculo adſcriberetur, ſuſpicio fuit ipſis inter Gallos venenum fuiſſe dilutum ac propinatum. Infelici quoque euentu quatuor Hiſpanorum millia in Gallias irruperunt; ex quibus, ſexcentis captis, relictis poſt ſe omnibus impedimentis & ſexaginta tormentis metallinis, ac quindecim ſignis, reliqui ægre ad ſuos euadere potuerunt.

Hæc dum ab alijs alibi aguntur, noſtri interim in Pomeraniâ non otiantur, Daminum enim in eas redegerunt anguſtias, vt vigeſimo quarto Decembris ſub octauam ante meridianam de tradendà munitione & conditionibus egerint præſidiarij, quibus hæ propoſitæ, & ab illis libenter acceptatæ ſunt.

I. Vt dimiſſis Damini vexillis omnis miles exiret. Et ſine ardentibus funiculis.

II. Vt præter ſua impedimenta, nemo

nemo quidquam ex ciuium, aliorumue bonis, ſub pœna confiſcationis omnium quæ elaturi erant, ſecum educeret.

III. Vt omnia tormenta bellica, quæ erant viginti quatuor in loco relinquerentur.

IV. Vt eos Generalis Goltz, qui cum ijs pepigerat Stralſundiam inuiolatos incolumeſque traduceret.

Vigeſima octaua Decembris Colonellus Deueroux, vna cum Colonello Carraſchi ab Inſula Iiſdum iuſſi ſunt Anclauiam tranſmeare, Iuniorem que Wangler qui huc vſque ſtrenue curauerat, ne quâ Anclauienſibus ſuccurreretur, aliquantum ſubleuarent. Trigeſima Decembris coacto concilio bellico actum eſt de milite in hyberna ducendo.



Cap.

CAPVT XXVIII.

Quid in Hybernis ſub initium Anni M. DC. XXXVIII. actum ſit.

SVb initium huius Anni, qui fuit reparatæ Salutis per Chriſtum M. DC. XXXVIII. Comprehenſæ ſunt ipſis Calendis Ianuarijs in Legione Colonelli Carroſchi octo muliercu-læ, quæ erant de Diaboli Amazonibus equitantibus ſuper hircos (ſtriges ſeu ſagas communiter appellant) ex quibus vna, reliquis captiuis detentis, ad inquiſitionem ducta, cumque omnino, exceptis partibus ſecretioribus, fuiſſet denudata, & in equuleum extenſa, inter prima tormenta nil quicquam eſt faſſa, cum autem ad grauiores pœnas eſſet deducenda, deprecata eſt, & liberè ſe dæmoni fide obſtrictam dixit, cumque eo ſæpe ſæpius concubuiſſe ſub ſpecie virili, ſimulque com-

plices

plices earumque facinora aperuit. Ob quæ omnes ad mortem damnatæ supplicium pro merito luerunt.

Tertia Ianuarij Daminum versus perreximus, Gallassus verò Neobrandenburgum, vt inde Anclauiensem obsidionem, quæ sine fructu continuabatur, solueret, ne miles plus inde damni quam emolumenti, adulta iam hyeme, caperet. In itinere hoc plurimum equi nostri deficiente pabulo, ita vt ne stramenta quidem equis reficiendis sufficerent, passi sunt. Accedebat frigus intensissimum, adeo militum corporibus noxium, vt nonnulli statim conciderent mortui. Ad Preslyn vbi Quarterium (vt vocant principale erat, cum biduum substitissemus, inter Officiales plerosque aliquantum tumultuatum est, quod bonis tantum lactarentur verbis, nec rei pecuniariæ quidquam sibi aut militi exhausto pene & nudo daretur. Mouebatur quoque non obscuris sermonibus Generalium quorun-

dam

dam iniquitas; qui eos, quibus bene vellent ad Imperatorem reliquosque Principes mitterent nuncios expugnatarum à se vrbium, vt eam quæ militi deberetur mercedem anticiparent, miles interim, qui laborem, sanguinem & vitam exposuisset, præter miserias & vulnera nil obtineret. Responsum est ea nunc esse tempora, quibus satisfieri omnibus non posset, si quandoque sors melior afflasset imperium, fore vtique vt pro singulorum conditione pręmia cuiuis decernerentur.

Iberni nostri sua hyberna Mechleburgi acceperunt distat Mechleburgum non nisi horâ Wismario vnde Duces Mechleburgenses ortum suum & nomen trahunt: tenuerant eum locum non multo ante tria Suecorum millia; sed à Neoclaustrensibus nuper obruti dispersisque erant, eripuerantomnes prope Equos cum impedimentis. Die quintâ decimâ Ianuarij Generalis Bredavv cum turmis aliquot E-

quitum

quitum in Insulam Pyll excurrit sed amissi aliquot in aquis equitibus sine fructu rediit. Non multo post eodem missus est cum selectissimis Dragonum Colonellus Troan, vt si quid illic commeatus reperiret ad nostra castra deduceret, sed serius venit, iam enim ab aduersarijs omnia exportata fuerant, sed & ex Insula Iisdum adfuere hostes, qui nostros in fugam coniecere capto Petro Oroll Capitanei locumtenente cum alijs pauculis Ibernis, vigesima quarta eiusdem Wismario Sueci emiserunt equitum turmam qui pauculos Equites & famulos è legione Colonelli Sichoë in captiuitatem abduxerunt. Quantæ vero circa hæc loca militis nostri fuerint miseriæ dici aut describi non potest, cogebantur enim integræ turmæ sub aperto Ioue, cœlo frigidissimo multas noctes exigere, vix aliunde quam niuibus & pruinis asperrimis tecti: Atque hæc omnia tenacitati vnius aut alterius Generalis imputabantur;

qui

qui licet ipſi milites eſſent egregij nullum metuentes hoſtem, pecunijs tamen nimium quantum adhærebant, ideoque vt ſuas opes augerent militem reliquum peſſundabant. Audiui non neminem illorum aliquando ſe çum Ioanne de Werth conferentem, ſed viſa eſt mihi hæc collatio velut Reguli cum Aquila. Werthius enim omnia quæ aggrediebatur ſuis auſpicijs & conſilijs faciebat, Hic autem aliorum iuſſu & ordinatione, & quod caput eſt Werthius ſe potius quam ſuorum militum aliquem temere perdidiſſet, hic autem integras legiones perire ſuâ auaritiâ ſinebat. Sed hæc cum alterius ſint fori ad alia progrediamur.

Hoc Anno quinque Hiſpanorum millia, Dûnkirckam quatuor auri vaſa deuexerunt. In Portugallia quoque aliquis contra Hiſpaniarum Regem motus eſt excitatus, qui tamen quam mox ſedatus eſt. Obijt quoque Mantuæ

tuæ Dux hoc eodem anno. Sub finem Ianuarij Vice-Maraſchallus Comes de Ridberg dum per aquas glacie obductas in Inſulam Rye tranſitum molitur, præmittitque ex equitatu quinquagenos, qui an commode tranſiri queat tentent: Hi omnes cum longius proceſſiſſent glacie rupta perierunt, ita vt redire Comes coactus fuerit. Quid mirum verò, ſi quandoque Deus ſibi aduerſantibus aduerſetur? Quiſquis militum Baccho & Veneri deditur, ſæpe à Deo neceſſaria ope deſtituitur. Pudendum eſt hodie caſtra illuc defluxiſſe, vt merito dubites, an inter milites Deus colatur, vel ſi colitur is vel Bacchus eſt vel Venus. Quam quidem impietatem optimè nuper perſtrinxit pudiciſſima illa iuxta & nobiliſſima Domina Antonetta La Roy in conuiuio: cui cum à magni nominis belli Duce vitrum porrectum eſſet, in quo ſuum ille eſſe Deum venditabat ipſa dimiſſo in terram è manibus vitro ait,

ecce DEUM tuum vir optime valde miſerum & fragilem: noris vero DEUM eſſe alium impietatis tuæ vltorem, qui conterit impie ſibi oblatrantes.

Interea in toto Mechleburgenſi Ducatu omnia neceſſaria tam pro milite quam pro equis deficiebant. Sed & Holſatæ & Hamburgenſes in hyberna vllum admittere militem, detrectabant: vnde accidit vt indies ſingulos multi miſerijs inferiores, vitam abrumperent.

CAPVT XXIX.

De Progreſſu noſtro aduerſus Suecos.

TOto hyemis & Quadrageſimæ tempore, varia Spe lactati fuerant cum Ducibus milites noſtri; Nemo non credidiſſet fore, vt ſub Veris ingreſſum & pecunia eſſet inſtructiſſimus, & veſtibus indueretur optimis:

mis: cum vero illa appulere tempora, vacuis loculis, nudoque corpore in campum denuo vt ante eundum fuit. Ita inanibus imò mendacibus mundus gubernatur pollicitationibus, stultissimus mortalium ille est qui mundo fidem adhibet. Ad aras, ærumnose miles, ad aras, nullum tibi alibi perfugium. Cum totum Imperium imo omnis pene Europa ac vniuersus orbis bello flagrabat, vicinaque Austria hostilibus circumstreperet armis, tunc quidem eras in precio, nunc cum hostem eneruasti paululum, & ad exteros pepulisti plusculum, tua vilescunt obsequia, adeo vsque vt te vilissimi aulæ assεclæ, infimæ sortis homuli, mundi probra & excrementa, ac merissimi terræ filij nec in famulatum admittere velint, imo fortissimos belli duces qui Cæsaris, Regumque, & Principum cum propriæ vitæ apertissimo discrimine, bona, fortunas, & statum conseruarunt, dedignentur vel ad aurigan-

dum, vel ad triturandum adhibere. Sed agite Domini mei, expectate paulisper, nondum equidem omnium dierum sol occidit, quis scit quid serus trahat vesper cauete ne in vos ille cadat aleæ iactus, quem vos militi Cæsari suo fidelissimo iacere non sine turpissima iniuria molimini. Sed quorsum ego frustra imbellis bruta iacio fulmina, vanæ sunt sine viribus iræ, quin in campum potius egredior animum distrahendi & bilem decoquendi gratia? Vt primum miles noster in campum prodijt, mox in hostem ductus est. Atque mox die quinta Martij suę fortitudinis dedit specimina; Generalis enim Glidsyn Guartzium hostibus stratagemate seu dolo eripuit, omnesque prope in eo præsidiarios internecione deleuit, accepit septem & decẽ peditũ vexilla, & tria equitũ, Generalẽ excubiarum Magistrum Dromer natione Scotum cum multis Ca-
pitaneis

pitaneis officialibusq; in captiuitatem duxit.

Nunciata tunc quoque nobis est occupatio Hannouiæ nobilis ciuitatis ad Mœnum sitæ, quam Ramsay miles vafer cum multo circum iacentium oppidorum incommodo iam multo tempore insederat: in qua obsidione multum operæ suæ posuit, nomine Eminentissimi Electoris Moguntini, quidam ex Nobili & generosa stirpe eorum de Metternich, & Prænobilis Dominus Ioannes Christophorus à Bertendorff Vice-Colonellus olim in Imperatorio exercitu, nunc præfectus in arce Königstein.

Accepimus hic quoq; vel non multò post de felicibus primùm successibus Ioannis de Werth contra Ducem Wimariensem, ac mox de miserabili clade ac captiuitate eiusdē G. Werth & trium aliorum Generalium, Puta Ducis Sauelli, Enckenfort, & Sperrenter. Strauerant primò nostri ad Rheinfel-

diam hostem, sed cum facta clade liberè nimium miles noster partim ad prædas, partim ad quietem abit, viresque temerè dispergit, colligit interim hostis cum milite animos, & renouata pugna, turpissimè eos fundit à quibus paulo ante fusus fuerat; Mox Rheinfeldiam, cum ei succurri haud posset, ad deditionem cogit. Quanto hæc nobis clades fuit lamentabilior ob tantorum virorum captiuitatem tantò lætior accidit illa quam Galli ab Hispanis perpessi sunt in solutione obsidionis Fontarabiæ.

Excurrerat Princeps Condæus ante paucos menses, cũ viginti quatuor militum millibus, equitum partim, partim peditum in Hispaniam, felicibusque auspicijs iam aliqua loca & portus commodiores in deditionem coëgerat, vlteriusque progressurus erat; Cum verò videret magnum suis progressibus ponere impedimentum Fontarabiam, armis impetere & expugnare sta-

restatuit. Toto igitur cum exercitu omni in eam rem subsidij genere instructo, ciuitatem cingit & acri obsidione premit, eoque iam progressus fuerat partim ignitis machinis, partim militum industria, vt propugnacula aliquot certa spe se obtinere putaret. Cum verò id Hispani viderent, probéque cognoscerent quanto id vrbis imo totius Patriæ damno futurum esset, omnibus viribus contra niti statuerunt: Ad octodecim itaque millia selectorum militum in Francica castra educunt, ac septimo Septembris (erat is Natæ MARIÆ Virginis Pridianus) tanto impetu hostem sui propositi & stationis tenacissimum aggrediuntur, vt confuso primùm exercitus ordine, tum multis militum cæsis, eum tandem in fugam effuderint. Sempiternam laudem hoc in conflictu tulit, Senioris Principis Generosi Parentis Condæi; non degeneris sobolis legio, quæ tam fortiter se Hispanis opposuisse dicitur,

vt nisi aliæ duæ Legiones Mailleraidiana scilicet & altera, quam de corona vocitabant, in fugam abijssent, dubio procul irrito conatu non sine multo Hispanorum sanguine recedendum fuisset. Hoc in congressu ad quadraginta Franci nobiles occidisse dicuntur. Archiepiscopus Burdegalensis & Episcopus Arelatensis (qui melius calamo & precibus contra spirituales hostes Ecclesiæ pugnassent) ægrè salui euaserunt. Condæus Princeps vir militaris & in pugna hac primus, equo fluuium tranauit, ac se vna cum Cardinale de la Valette, Comite Grammont, Marchione de la Force, Marchione de Gente, alijsque Baionam retraxit. Occubuere ex militibus mille quingenti circiter, quingenti capti, tormenta bellica maiora triginta septem, omniaque impedimenta, inter quæ currus ipsiusmet Condæi Principis argento rebusque preciosis graues ad quadringēta coronatorum millia

lia æſtimati noſtris relicta ſunt. Captiui poſtea, ab Regum humaniſſimo Philippo omnes in priſtinam libertatem ſine litro reſtituti ſunt, vt primum de Principe Regi Franciæ recens nato in Hiſpanijs auditum eſt.

Plures interim legiones de noſtris in Pomeraniâ ſexto, ſeptimo, & octauo Aprilis mandatum acceperunt tranſeundi Albim: Eodem fere tempore Inuictiſſimi Imperatoris noſtri Ferdinandi III. Coniux, magno ſummorum infimorumq; plauſu Regina Hungariæ eſt coronata, poſtquam omnes Hungariæ ſtatus ad Generalia regni Comitia fuiſſent euocati: Dehinc Cæſar Pragam abijt. Generalis Gallas poſt huius anni varias contra hoſtes expeditiones, poſtquam omnia loca recens aduerſarijs erepta ſufficientibus præſidijs munierat, Cæſareas copias in varios ducatus pro hybernis partitus eſt. In ducatum Holſatiæ varias miſit legiones, Duci Florentino aſſignatum eſt

S 5 terri-

territorium Bremense, qui in eo ne desses esset hospes munitam arcem expulsis inde Suecis occupauit. Comiti de Ridberg obtigerunt Brunsuicensis & Luneburgensis alijque adiacentes comitatus. alijs cesserunt Hamburgenses & Lubecenses terræ. Goltz Archiepiscopatum Moguntinensem & ei viciniora loca sortitus est, Mechleburgensem Ducatum obtinuit Generalis vigiliarum Magister Salis, cui commissa cura supprimendi & in officio continendi Bannierium si qua tentasset erigere caput. Nobis proficiscendum fuit Dannenbergam, vbi cum tenuissemus paucos dies Wolfsburgum transiuimus, atque in desolatis pagis omni humana ope destitutis hospitari coacti sumus vsque ad quintam decimam Aprilis, qua die cum fames nos diu pressisset Brunsuigam mouimus ciuitatem amplam & spatiosam optimè circumvallatam, dicitur hæc vrbs à Brunone quodam eius conditore no-

men habere, exstructaque esse Anno post Christum supra octingentesimum sexagesimo primo, circa has partes duas prope septimanas nostram contributionem pecuniariam expectauimus. Inhumanum nobis imprimis visum est, quod cum Dux Brunsuigiæ & Luneburgi coram istic adesset, nihil nobis è ciuitate vel in equorum vel in hominum sustentationem dimitteret: sed & Brunsuicenses rustici impunè nostrum infestabant militem & si quos solos deprehendebant misera morte mulctabant, adeo vt nec ipsis officiarijs parcerent, si quos panis aliquid aut farinæ ad victum necessariæ quæsiuisse reperirent, vnde factum est, vt è militibus plurimi, fame & extrema necessitate cogente diffugerent.

CAP.

CAPVT XXX.

Deſcribit iter noſtrum in Comitatum Schaumburgenſem.

POſt inexplicabiles & planè miſerandas calamitates, ſeptimo tandem Maij iuſſi ſumus, Hannoueram verſus iter noſtrum dirigere, ac iſtinc in comitatum Schaumburgenſem flectere ille enim dicebatur nobis aſſignatus eſſe in hyberna. Ita ingenue Lector, omnia hac mundi tempeſtate ſurſum, deorſum quadrata rotundis miſcentur: Hyeme pugnandum eſt, dum tempus appropiat, quo Reges ad bella procedere conſueuerunt, in hybernis delitescendum: Non tamen id ſine cauſa fieri putes, norunt illi quorum intereſt. Solent ſæpe Commiſſarij exercitum, quaſi neceſſitas id exigat, in campo retinere, vt ipſi ex hybernis illum, qui militi aſſignatus erat, fructum demetant. Et ipſi hæc neminem notare

exiſti-

existimant, cum luce clarius meridianâ multorum doli iam pateant. Sed quæ supra nos nihil ad nos, obiter tamen & per transennam tetigisse veritatem nil nocebit. Ad Comitatum Schaumburgensem maturè, ne æstiui nos postea calores grauent festinemus, sed lente tamen, ne forte idem nobis quod Cottaschianæ legioni nimium acceleranti contingat. Hæc enim cum ad eundem nobiscum locum esset destinata, nobis inscijs summo Generalis Gallassi fauore obtinuit copiam nos præueniendi ea (ni fallor) mente, vt optimam sibi commorationem deligeret, & sua stipendia seu contributionem prior extorqueret, atque ad nostrum accessum nil restaret, vel si quid restaret difficulter colligeretur multa cum subditorum difficultate. Sed qui omnia prudenter ordinat prouidentissimus DEUS præclarè disposuit, strophamque in ipsorum retorsit caput, fecitq; vt Cursores isti prius fierent præda hosti-

hoſtibus, quàm locum deſtinatum contingerent. Cum enim aduerſarius miles non procul inde diſſitus per exploratores reſciſſet legionem ſolam illas vias tranſituram, mox emiſerunt pluſculos, qui ex inſidijs erumperent, & cinctam vel ſternerent, vel caperent, quod & factum eſt. Et licet dicta legio optimo & ſelectiſſimo conſtans milite ipſis duodecim horis cum hoſte fortiter dimicarit, occideritque cum Vice-Colonello & tribus Capitaneis centum circiter & viginti tam pedites quã equites, non potuit tamen aduerſariorum vlterius reſiſtere potentiæ, ſua igitur vexilla omnia cum vniuerſis impedimentis relinquere coacti ſunt, & captiuitatem ſubire vna cum famulis vxoribus & liberis ad vnum omnes, ſolo Colonello eiuſque coniuge, qui opportunè Hannoueram negotiorum cauſa excurrerant, exceptis. Atque id ſub exitum Aprilis contigit ad Pagum

gum quendam Kleinenheydorn prope Neapolim.

Die tertiadecima Maij noſtra legio cum Comite del Maeſtro Neapoli oppido ęgregiè munito, & ex vna parte Leinâ fluvio tuto, in comitatũ Schaũburgenſem ingreſſi ſumus. Comes loci illius Dominus vir eſt in paucis manſuetus, affabilis & comis, qui quam potuit humaniſſimè nos excepit: Ex huius Comitis & Ducum de Florentia familijs, Comites Geraldini Iberni ſuam deducere dicuntur originem. Interea Sueci noſtros animosè, vbicunque poterant, inceſſere non deſiſtebant, inprimis vero eorum Generalis Kingen varia Cæſareanis damna intulit. Calendis Iunij ex inopinato claſſicum cantari curauit, noſtroſque inopinatos imo fere imparatos obruit, multoſque ex Legionibus Colonelli Broy & Colonelli Lamboy, qui Verdæ conſederant, ſtrauit. Deinceps viginti dierum induciæ inter Cæſareanas & Suedi-

Suedicas turmas intercesserunt ob pacis fœdera quæ inter aduersas partes tractari dicebantur, in quem finem à Cæsare Comes Kurtzius cum alijs quibusdam Imperatoris Consiliarijs Lubecam missus erat, vt de medijs Pacis opportunis & Imperio vtilibus conferret. Gallassus interim in Hybernis suis Grabouiæ in Ducatu Mechleburgensi subsistebat. Elapso induciarum tempore die vicesima tertia Iunij Comes del Maëstro & Colonellus Deueroux coniunctis viribus hostem inuadunt, & præter eos quos morti tradiderunt sedecim in captiuitatem abducunt; Aduersarij autem qui fugam ceperant ne inulti discederent Luneburgensibus equos plures furto subduxerunt. Circa eadem tempora contigit non minus iucunda quam vera historia. Tres equites, qui suberant Generali Bredavv è castris simul egressi, nescio qua Fortuna in sex aduersariæ Legionis similiter equites incidunt, à

quibus capti atque in Sylvam abdu-ctí, ad pudendam primum nuditatem exuti ſunt, mox manibus poſt terga revinctis in triplici ſacco ſeparatim includuntur, atque ita omni ope deſtituti feris pabulum relinquuntur. Hic cum ſe in omnem partem vincti totum biduum voluerent, nec euadendi rationem inuenirent, eorum vnus pedibus tandem exitum molitur, cumque manibus vti non poſſet, nec ſocij ipſum vinculis expedire, in terram denuo prouoluitur, ac ore vincula Sacci diſſoluit emittitque ſocios, ac in caſtra ſemineces & tantum non fame enectos reducit.


Hic dum nos, collatà in vnum operà quoquo modo tuemur contra hoſtium incurſus ex improuiſo Comitis de Ridberg mandato auocamur, & in diuerſas partes ſeparamur; ac Comes quidem del Maeſtro in Brunſuigiam expoſcitur, Colonellus vero

Deueroux ad Generalem vigiliarum præfectum Petrum Gôtz in Westphaliam dimittitur.

Menſe Iunio Cardinalis Hiſpaniarum contra Batauos prope Antuerpiam proſperrimo ſucceſſu pugnauit, & præter ſtragem quam intulit aduerſarijs luculentam, tria militum millia quadringentos ſexaginta quatuor cepit, Naues etiam centum circiter omni munitionis genere inſtructas, cum tormentis omnibus maioribus minoribuſque Hollandis eripuit. Dux quoque Lotharingiæ ad metas incidit in varios mulos aureas partim argentaſque, partim alias ex Gallia merces euehentes, precium precioſioris metalli ſedecim millium aureorum excurriſſe creditur, præter ea quæ in alio rerum genere portabant, quæ omnia ſecum abduxit. Sub exitum Iunij Generalis Gallas omnibus in Pomeraniâ vrbibus noſtræ poteſta-

poteſtati ſubiectis ſuppetias miſit. Wolgaſtum ablegauerat cum copioſa Cerere Generalem Salis, quam cum hic ſine impedimento intuliſſet ac iam ad ſua caſtra reuerteret, commodum nactus in via locum equos ſuorum pabulatum emitti voluit: Quos cum conſpicati eſſent ex vicinia aduerſarij, ſubito in eos irruerunt ſperantes prædam commodam, ſed ſecus negotium quam ſperarant cecidit, atque ipſimet noſtris facti ſunt præda. Circa hæc tempora nobis quoque innotuit clades quam Princeps Cardinalis Hiſpaniæ Picolominij & Cæſareanorum ope Gallis intulit ad S. Anthomarum, in qua tredecim militum millia partim cecidit, partim vulnerauit, partim in captiuitatem abduxit cum omni apparatu bellico. Nos vero vt in Weſtphaliam diuertimus, mox in Waldeckenſem Comitatum in confinibus.

Haſſiæ ſitum, virium reſtaurandarum gratia deducti ſumus, iuſſique expectare aduentum Generalis Mareſchalli Hatzfeldt. Tractabant tunc forte Haſſi de Pace cum Cæſare inſtauranda, nec ideo nobis licebat in eorum ditionem excurrere, ne anſam daremus nouæ diſſenſioni. Interim ſæuus Caluiniſtarum furor non quieuit, ſed in Fuldenſem Patriam debacchatus eſt, ac maxime in Religioſum virum ita ferocijt, vt fruſtratim ab immaniſſimis hominibus fuerit dilaniatus.





CAP.

CAPVT XXXI.

De origine & causis belli Germanici, rebusque alijs in Imperio gestis.

SÆpe mecum disquirenti, quæ tanta tam immanis belli, totque calamitatum in Germaniâ ab multis annis exortarum foret causa, non occurrit alia; quam nimia, ex affluentia rerum omnium, progenerata superbia: Qua quisque sibi ipsi Imperator & veluti parvus quidam DEUS, sine respectu humanarum diuinarumque legum viuebat, cum enim DEUS superbis resistat, humilibus autem det gratiam iure merito flagella iræ suæ infligere debebat, in eos qui nescio qua animi elatione supra terram incedentes vertice attingebant polum, quasi summam vo-

torum iam assecuti essent. Solet Deus grauiora delicta quæ suam maiestatem tangunt propius acrioribus etiam multare pœnis, cum vero vix graue aliquod peccatum excogitari possit, quod non ex fonte & matre vitiorum omnium, superbia, progeneratur, merito id tam violenta ac diuturna exagitat vltione. Expergiscere aliquando afflictissima Germania, & considera vilitatem tuam, ad quam te tuo merito redegit omnipotens, humiliare sub potenti Dei manu vt bene sit tibi & misericordiam consequare. Iam satis delituisti in puluere miseriarum erige quandoque vultum excute sortes, & conuertere ad Dominum Deum tuum. Sed mei instituti memor alibi Ecclesiasten agam; Hîc Historicum.

Hoc tempore Serenissimus Prînceps ac Dominus Ioannes Landgrauij Darmstadiani Frater, Princeps varijs naturæ & Dei donis ad portentum dotatus,

doratus, Generalem noſtrum, pro ea qua eſt humanitate in ordinem militarem, inuiſit. Mirabile fuit ex hac Principum lineâ nullum fuiſſe, qui contra ſuam Cæſaream Maieſtatem, (quantumuis Religione ab eo diſcederent, & affinitate, cognationeque arctiori cum Saxone alijſque Germaniæ Principibus contra imperium tunc bella gerentibus proxime accederent) aſſumpſerit. Videbant ſcilicet ſagaciſſimi Principes Imperatorem, quamuis ad tempus ſupprimi poſſet, opprimi tamen non poſſe. Non multo poſt durantibus etiamnum hiſce turbis in Imperio, Iuniorem horum Principum Romam adeundi inceſſit libido, quo vt venit Religione tum loci tum hominum motus eiurata hæreſi ad orthodoxam & antiquam redijt Eccleſiam.

Menſe Iulio Comes Ioannes Gôtz Ligiſticarum turmarum Mareſchallus cum Duce de Sauelli cum multo exer-

citu ad Briſacum obſidione liberandum exierunt optimè annona & armis inſtructi. Sauelli primum agmen Ducere iuſſus eſt, ſubſequente cum reliquo exercitu Gôtz, vt vero impedimenta & commeatus ſecuriori incederent viâ, inter vtriuſque turmas illa vehi voluerunt. Non poterant noſtrorum conſilia cum publica eſſent & aperta latere Wimariæ Ducem Bernardum, qui non otioſus miles omnes cum ſuis Ducibus inijt rationes & modos cedendi noſtros & commeatum diuertédi aliò antequam locum contingerent, quem deſtinarant. Direxit itaque tormenta omnia bellica in prodromas Sauelli copias, ac mox cum ſelectiſſimo milite aduerſarium ſibi agmen aggreſſus eſt turbato nonnihil militum noſtrorum ordine: Qui vero vt ſe Ducis ſui hortatu recollegiſſent, fortiter hoſti deinceps reſtiterunt, coëgeruntque aliquantum retro mouere pedem.

Quod

Quod si hîc festinato vt debuerat adfuisset cum reliquo milite Ioannes Gôtz, res optime processura fuisset; hostisque sine dubio cæsus. Sed quoniam vel ipse sibi soli liberationis Brisacensis laudem arrogare volebat, aliosque præ se contemnebat Duces, vel certè, quod quidem tunc constans fama aiebat, cum hoste colludebat, studio alicubi hæsisse putatur, & optasse hanc cladem ex animo Duci Sauelli. Cunctante itaque Gôtzio, nostrisque contra validissimum exercitum inferioribus, Wimario Duci cedere coacti sunt, qui præualens, cum nostri impetum vltra haud sustinere possent, eripuit commeatum cum impedimentis omnibus quæ nostri secum aduexerant. Ita vno die, imo intra pauculas horas concidit potissima libertatis Brisacensis spes, at tot sumptus ab Imperij varijs Principibus impensi, in hostis commoda reciderunt. Ceci-

dere ex noſtris peditum Tribuni tres cum alijs gregarijs militibus: Non pauciores tamen ex aduerſarijs legionibus deſiderati ſunt, inter quos etiam captus eſt Generalis excubiarum Præfectus Dubadell. Diremit aduentans nox prælium, quæ niſi interceſſiſſet forte diutius maiorique clade pugnatum fuiſſet. Redijt igitur ad ſuos triumphans & ſpoliis gaudens, Wimariæ Dux Bernardus, Sanelhicus vero & Gôtzianus exercit⁹ ſe ſed ſerius cõiunxere, atque in Wirtenbergenſem Ducatum exercitum reliquum traduxerunt. Sed & in Pomeraniâ ſors nobis aduerſa obtigit, vbi Suedicus miles Guartzium vi obruerunt & occuparunt. Poloni quoque magnum in Regno excitant tumultum ob Caſimirum Principem Regis ſui Fratrem ad exteros miſſum & à Gallis interceptum: Hic enim cum Neapolim iret Prorex ijs in terris ab Hiſpano deſtinatus, in Gallorum

manus

manus delatus eſt & Pariſios contra ius faſque abductus.

Nec multo poſt Carolus Ludouicus contra imperium mouet, ei, vt paulatim eſſet, qui opponeretur, obuiam miſſus eſt Petrus Gôtz ad explorandum quorſum eius conſilia tenderent, quem mox ſecutus eſt Imperatoris decreto Generalis Hatzfeldt, qui exercitui Cæſareo ijs in locis cum imperio præeſſet. Hic primo quoque tempore, hoc eſt vigeſimo ſexto Auguſti armiluſtrium haberi voluit non procul Lipſtadio, quo confecto Suſato Hammanam ad Fluvium Lippæſitam, ac tandem Tremoniam perreximus. Quarto Septembris cum non procul abeſſe intelligeremus Comites Palatinos cum ſuis copijs, duo Equitum millia contra ipſos mouere iuſſa ſunt, ſed cum ipſi iam per exploratores reſciſſent de noſtro aduentu, totam noctem in acie militem ſuum tenuerunt,

runt, ita tamen vt ab aggeribus ſuis non multum recederent, per quos noſtris nullus dabatur acceſſus.

Sub hæc tempora Fama ad nos non obſcuris rumoribus detulit, neſcio quas diſſenſiones contra ſuum & Brittanniæ Regem in Scotiâ gliſcere, adeo vt metuatur, ne paruæ quidem adhuc ſcintillæ in immane erumpant incendium, (Quod quidem bonus DEUS pro eâ qua eſt in genus humanum prouidentia clementer auertat) velim vero ſubditos omnes diligentiſſime conſiderare totum Germaniæ ſtatum à primo ortu ad hæc vſque tempora: Quid amabo ad eas traduxit calamitates omnes Imperij Principes tam potentes tam magnificos, quam quod Cæſari ſuo obedientiam debitam negarint. Nollem ſane videre (vt verum fatear) conterraneos meos pro ſimili delicto ijſdem implicari miſerijs, ſubdant igitur ſe potius poteſtati eius,

qui

qui vt Princeps eſt clementiſſimus, ita apud omnes exteras nationes iuſtiſſimi Regis obtinet nomen: cui non aliunde quam à cœlo Sceptrum, datum eſt quo ſubditos gubernet populos.

Capvt XXXII.

De rebus bellicis geſtis hoc anno in Imperio, & de noſtro ſucceſſu contra Carolum Ludouicum Principem Palatinum.

POſtquam iam ſæpe ſæpius nominatus Mareſchallus, Excellentiſſimus Dominus Comes de Hatzfeldt Tremoniæ cum Architribunis conſilium inierat, ac de militia in proximum tempus inſtauranda & promouenda conſultarat; omnem militem ad armiluſtrium non procul Hammo-

na in-

ma instituendum scripto exciuit, ad quod nostra legio se quamprimum contulit. Hoc in Itinere Relinghusium delati sumus vidimusque Parthenonem & virtute & antiquitate nobilem, non sine magna Fundatorum prudentia, in vsum fœminarum nobili stirpe progenitarum, fundatum. Huc nullæ aliæ nisi ex nobili prosapia ad leguntur. Subduntur vero & parent omnes vni communibus suffragijs ad id delectæ, quam præpositam appellant, quæ iura etiam ipsis sæcularibus dicit, causasque capitales per suos decernit, atque ius gladij vsurpat in eos qui in grauioribus delictis comprehenduntur. Hæc Antistes sola perpetuo se castitatis voto obligat, aliæ vero virgines non nisi ad tempus illud quo in monasterio sub obedientia & directione Præpositæ subsistunt ad continentiam seruandam tenentur: Possunt enim, si quando collibitum

libitum fuerit inde cum bona ſuperioris venia diſcedere, & matrimonio ſe coniungere, vel ad alia ſe munia ſæcularia transferre. In honeſtiſſimam & nobilitati ratam conuenientem alimoniã, Imperatores domus illius Fundatores cum conſenſu Summi Pontificis præpoſituram quandam præpinguem adiunxerunt, multiſque indultis donarunt.

Hinc per Eſſendiam, ciuitatem varia ac multiplici fide diuiſam, quippe in qua Catholici, Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Zvvingliani, Huſitæ, Iudæi quoque & gentiles domicilia fixerunt, contra Palatinos Comites Carolum Ludouicum, & Robertum profecti ſumus. Obſidebant illi tunc forte ſerijs plane conatibus Lemgouiam, iamque in quartum decimum diem non ſine ſpe deditionis maioribus tormentis quatiebant, & circum vicinas terras, intolerabili prope iu-

pe iugo premebant. Noſtros ergo vt Palatinus miles Suedicis miſtus copijs, in prælium promptos approximare conſpexit, pertinacibus animis ne pedem quidem à cæpta obſidione, dimouere concluſit, ſed ſigna ſignis opponere, quod etiam tam conſtanter ſeruauerunt, vt irruptione facta, noſtrum Equitatum quantumuis ſelectum duabus omnino vicibus terga vertere & retrogredi compulerit, exardeſcentibus deinde velitationibus in luculentum prælium tam fortiter in noſtros egerit, vt victoria ſub initia pleriſque anceps ſit viſa, quoad tandem aduerſario militi nunciatum eſt, nouas legiones in Hatzfeldicum ſuccurſum à Barone de Weſterholdt adduci: Quocirca ille quam mox impedimenta omnia cum tormentis ad oppidum Vlothæ in comitatu Rauenſbergenſi ſitum, tranſportari iuſſit. Cui propoſito vt maturæ contrauenire

Hatz-

Hatzfeldius, Westerholdium præmisit summa cum festinatione Gosfeldiam, vt pontem illius loci, per quem aduersariæ copiæ tuto Mindam euadere potuissent, disijci curaret. Hic vbi vidit hostis omnem sibi effugiendi præscisam esse viam, ad pugnandum adiecit animos, remque prælio discernendam suscepit, exercitumque nostrum septimo decimo Octobris sub horam primam fortiter se impetentem tanta fortitudine excepit, vt à nostris partibus plurimi ceciderint, dubiaque multis horis in veramque partem nutarit victoria, imo prope sub pugnæ exordia in hostiles partes inclinarit. Alam dexteram Cæsareanorum Baro de Westerholdt & Vice-Mareschallus Serenissimi Lotharingiæ Ducis Louthersheim præibant, in sinistra vero ipse Campiductor Hatzfeldius cum Comite Petro de Götz viriliter quod

masculos decet milites in prima semper acie depugnauerunt. Vnde dictus Petrus Goetzius, cum semper in frone hostem aggrederetur primus tormenti bellici maiori globulo interijt, quod apud summos infimosque militum maximam peperit tristitiam. Cum vero miles noster nihilominus hostem premeret, palatina castra paulatim confusa primum sunt, dein in fugam effusa, in qua maxima aduersarijs est illata clades, vndique enim à nostro equitatu intercepti cęsisique sunt, ita vt pauculi præter eos qui aquis præfocati sunt aciem gladij euaserint.

Hac in pugna interceperunt nostri omnia impedimenta curulia, omnem militarem apparatum immane quanto impendio comparatum tormenta bellica maiora decem, minora alia pluscula, vexilla tam pedestria quam equestria, præter ea quæ noster miles in

in baltheorum militarium vſum dilacerauit, quadraginta & vnum; Periſcelidem quoque recens ab Anglorum Rege Equeſtris ordinis ſui ſignum ad Seniorem Palatinum tranſmiſſum; vna cum literis Secretioribus omnibus, quæ vniuerſa quamprimum ad Comitem Harzfeldium delata ſunt. Inter impedimenta alia repertus & currus ſignato argento grauis, precium triginta millia imperialium excedebat, hic militum prædæ relictus eſt, vt aliquod ſaltem fortitudinis ſuæ reportarent præmium.

Captiuos ſecum noſter miles hos fere inter præcipuos abduxit, Iuniorem Principem Palatinum Robertum nomine, qui ſe vere inſignem militem, ſed præſtantiorem in animo fortitudinem hoc in conflictu oſtendit; Eius locum tenentem Ferentz, duos Comites Anglos totius Angliæ qua diuitijs qua honoribus præcipuos, ſex Co-

lonellos atque inter hos Colonellum Boy, Colonellum Loënſtein, Colonellum Buſſardt, Colonellum Millardt, quinque præterea Vice-Colonellos, decem vigiliarum ſupremos præfectos, duodecim Tribunos Equitum viginti quatuor Capitaneos peditum turmis præfectos. Senior Princeps Palatinus Carolus Ludouicus cum eſſedum quod ſex inſignes equi trahebant, celeri fuga euaſurus, conſcendiſſet, Viſurgim tranare aggreſſus eſt, cum vero in ceteriore ripa terra eſſet elatior quam vt equi eniti poſſent, currum reliquit & inter Salices multum luctatus, incolumis tandem in ſiccum exſcendit, & pedes vlteriorem ſalutem Mindæ quæſiuit, currus vero cum equis & Auriga Viſurgi obruti perierunt. In loco prælij mille ducenti numerati ſunt occiſi, præter eos, qui in Syluis & aquis aut alibi cum fugerent mortem obie-

obierunt. E Cæſareanis præter iam dictum Petrum Götzium interfecti ſunt Colonellus Tyrell natione Ibernus, animo miles in paucis egregius, quod ipſum ipſi quoque hoſtes non ſemel faſſi ſunt & experti; Vnus ViceColonellus cum militibus gregarijs non plus quadraginta.

Pugna confecta Generalis noſter Comes de Hatzfeld copias noſtras in comitatum Lipienſem traduci voluit, & paucis diebus quieſcere. Vigeſima & ſecunda Octobris Princeps Palatinus Robertus cum reliquis captiuis Warendorpium deductus eſt.

Non poſſum hîc prætermittere, quin mentionem faciam humaniſſimi illius conuentus qui ad Leuthmaritz habitus eſt ab Auguſtiſſimo Imperatore noſtro Ferdinando III. & Sereniſſimo Saxoniæ Duce & Electore, in quo de ſummi momenti negotijs a-

ctum est. Deduxerat secum Saxonum Dux vt Cæsari gratularetur imperiales honores, & insignes ab hostibus reportatas victorias, quaternionem filiorum suorum Principum, quos Cæsar amicissimè consalutatos intimè complexus est, ijsdemque magnifica plane & Regia Maiestate digna dona distribuit; ac Serenissimo quidem Parenti Electori ac Duci Essedum Holoserico magnifice tectum auro argentoque supra Cæsaream opulentiam splendidum, quod sex Equi generosissimi trahebant. Senioribus duobus Principibus Duci Ioanni Georgio & Duci Augusto, cuiuis equum ornatu precioso opulentissimum munificè elargitus est, Iunioribus verò Ducibus Christiano & Mauritio sicut & præcipuis Saxonum Aulicis preciosos torques aureos pro dignitate & merito cuiusuis, dono dedit.

Intèrea

Interea noſtri victoria ſua contra Palatinos vſi, Cloppenburgo primum in deditionem accepto, ſuſpenſoque ex infami cruce eius loci Præfecto, quod nuper à Cæſareanis ad hoſtes nequiter transfugiſſet, ad Vechletenſem obſidionem animum ac vires applicuerunt, quam quidem etſi noſter miles haud diuturnam fore putaret, eo quod exili ambitu hæc ciuitas circumſcribi videretur, ob incidens tamen cœlum pluvium, & maſculas obſeſſorum oppoſitiones, ſex facile ſeptimanis non ſine noſtrorum ſanguine tenuit. In ea obſidione è noſtris Perilluſtris Baro de Weſterholt ex ictu globuli plumbei extinctus eſt. Ex aduerſarijs vero loci præſes Colonellus Lesle vna cum Præfecto vigiliarum vno tormenti bellici maioris ictu occiſus eſt.

Contra Suecos non minus actum eſt alibi fortiter, Comes enim de Broy in

quingentos Bannirianos equites, legionesque peditum duas opportuno loco incidens fudit plurimos fugauit reliquos. Nec minora damna reliquo aduersario equitatui, ob luem quę tunc in equos immani clade grassabatur, illata sunt, ita vt potissima equitum pars pedes equitare ob equorum mortalitatem fuerit coacta. Gallassianus verò exercitus cum fame indies magis quam cum hostilibus copijs conflictabatur, adeo vt quot diebus multi militum inedia confecti ad sepulturam deferrentur alij vero, vt vitam alibi quæsita annona sustinerent clam fugere cogerentur.



CAP.

CAPVT XXXIII.

De deditione Brisacensi, aliisque quibusdam rebus in Imperio exactis.

HVc spectat Brisacensis expugnatio, de qua iam supra sæpius fecimus mentionem, quæ sub finem huius anni M. DC. XXXVIII. per Wimariensium Ducem Bernardum non minus fortiter quam constanter non sine magno totius imperij incommodo contigit. Eius Historiam paulo fusius referemus.

Viderat iam multo ante sagacissimus Wimariensium Dux, Brisacum post diuturnam obsidionem vix posse diutius sustinere sui militis vigilantem cautelam, qua omnis commeatui quo maximè obsessi laborabant, accessus

præcludebatur, ita vt res eorum admodum curtæ illic iam essent, vt ob grauissimam famem & quotidiana funera præsidiarij multò amplius munitionem tenere non possent. Emisit igitur tam ex peditatu quam equitatu suo, qui quorsum aut quam in partem se Gôtzius verteret, mature explorarent: Hi cum ex Cæsareanis varios captiuos adduxissent, ab ipso Duce Bernardo examinati sincerè edixerunt, nescire se quidem quid Gôtzius moliretur, quoue exercitum esset traducturus, Hoc certum quod Waldishudum non ita pridem venisset Philippus Comes de Mansfeld à Cæsare ad Bauarum, atque hinç ad totum exercitum maximè vero ad copiarum duces destinatus, in quem finem ne id quidem adhuc liquere. Militem porro Cæsareum sat copiosum minus tamen animosum vi irrupisse in arcem Guttenbergensem, in

qua ad quingenta frumenti maltra reperiſſent. His nunciatis à Wimario ſine mora ſupremus vigiliarum Præfectus Prignitz cum ducentis equitibus, trecentiſque peditibus Guttenbergam verſus mouere iuſſus eſt, partim vt vlteriores progreſſus impediret, partim vt rei veritatem coram inſpiceret. Quem vt Gôtzianæ copiæ adeſſe cognouerunt, opinatæ ſunt omnem Wimarienſis Ducis exercitum aduentare, ideoque necdum collectis vaſis in effuſam abiere fugam, ſeque omni cum feſtinatione Villangam contulere, relictis potiſſimis tormentis bellicis, quæ facile dictus Prignitz auehere potuiſſet, niſi equorum penuria id negotij impediuiſſet, præter paucos itaque captiuos reliqua integra dimiſit, retulitque ad Ducem ſuum, Comitem Mansfeldium nunc cum exercitu Cæſareo eſſe, militique Diploma Cæſaris à Sereniſſimo Bauaro
ſubſcri-

ſubſcriptum exhibuiſſe, quo iubeantur nullam poſthac Gôtzio, ſibi verò omnem obedientiam & ſubmiſſionem militarem præſtare. Mox hinc ad Gôtzium adijſſe vt vinctum ad Cæſarem vel certe Bauarum ablegaret, quod ſine cunctatione factum, Rhedaque impoſitum cum ducentis equitibus Cæſari fideliſſimis Monachium abduci iuſſit. Nec ipſe quoque Mansfeldius multò poſt, cum militare imperium cum ſumma auctoritate ad vlteriorem Cæſaris diſpoſitionem in Goltzium tranſtuliſſet, aliò profectus eſt.

Briſaci interea cum Generalis tormentorum Præfectus Baro de Reinach omni ſe ope deſtitui videret, nec liberandæ munitionis locum aut modum vllum cognoſceret, nec ſupereſſet in vrbe quo ſuam ſuorumque vitam poſthac ſuſtineret, extrema fames ſummaque miſeria militem cætero-

roqui

roqui cordatum ad mitiores ſermones adegit. Duodecimo igitur Decembris Tympaniſtam illum quem ante paucas horas Colonellus Erlach intromiſerat ex vrbe remiſit cum officioſiſſimis literis, ex quibus facile notari poterat eum quidem certis & honeſtis conditionibus vrbem dediturum; rogabant vero vt pro maiori vtriuſque partis ſecuritate obſides vtrimque mitterentur, quoad pacta concluderentur. Nec multo ante amiciſſimas omnino literas ad ipſum Wimariæ Ducem dederat Reinachius quibus commodas rogabat conditiones. Has Reinachij literas cum Dux Bernardus legiſſet conſilio bellico coacto nunciauit expedire vt ipſe pactis coram intereſſet: Itaque ſexto decimo Decembris vltro citroque miſſis primum obſidibus ſeptendecim puncta Reinachius emiſit, quibus ab aduerſarijs ſubſcribi voluit, ſed omnia vix lecta quam-

quamprimum à Duce Bernardo remiſſa ſunt, nunciatumque victorioſi Ducis eſſe leges ſeu gratias potius victis præſcribere, ipſe igitur omnia pacta ad quatuordecim capita reduxit, hoc fere quo ſequuntur modo.

I. Conceditur Generali tormentorum bellicorum Præfecto Baroni de Reinach commendanti in Briſach vt cum omni ſibi ſubdito milite, reliquiſque duobus Colonellis Eſcher & Wirtzen omnique comitatu, cum omni inſtructu bellico oneratis fiſtulis, tam pedites quà equites ſaluis ſuis rebus omnibus egrediantur. Offert prætereа Dux VVimarienſis fame miſerum in modum exhauſtis militibus in duos dies ſufficientem commeatum. Vult vt nono decimo Decembris egreſſio inſtituatur, & antequam ea fiat, imperat vt ſibi tradantur aliquot ex præcipuis propugnaculis.

II. Vt omnium, quibus aquis deſcende-

ſcendere collibitum fuerit, res ſaluæ & incolumes Argentinam vſque, per quaſuis Briſacenſes naues (vna nominatim certas ob cauſas excepta) deferantur, hac tamen conditione, vt Nautæ omnes vel Argentinâ, vel certè, ſi iſtic aliarum nautarum copia difficilis foret Philippoburgo Briſacum ſine mora remittantur.

III. Indulgetur Domino Baroni de Reinach, & eius militi vt duo tormenta bellica maiora, quorum quoduis globum octo librarum capiat, cum viginti globis duobuſque vaſis tormentarij pulueris ſecum abducat, in quem finem duæ aliæ naues, ſi opus fuerit, Bernenſes, præter iam ſupra conceſſas Briſacenſes, dabuntur.

IV. Vt de tranſitu ad Argentinam Dominus Baro de Reinach certus ſit, poterit cum literis aliquem ex ſuis fidum Argentinam mittere, qui de ciuitatis voluntate intelligat. Quod ſi

iſtic

iſtic tranſitus negaretur, ſpondet VVimarienſis Dux, ſe cum ſuorum militum ſaluo conductu facturum, vt omnia impedimenta ſalua Offenburgum deducantur, & pro maiori cautela ſeu ſecuritate obſides dabit dicto Reinach.

V. Transfugas his pactis neutiquam concludi vult Dux, ſed eos ſibi reddi, qui verò capti ſe durante obſidione ad partes Cæſareas tranſtulerunt ijs liberum erit vel morari cum illis cum quibus ſunt, vel ad ſe reverti.

VI. Obligabitur iam ſæpe nominatus Baro de Reinach, vt his pactis concluſis mandet ſerio commendanti in Landskron; vt arcem illam VVimarienſi Duci cedat. Promittit vero Dux ſe militem iſtic præſidiarium vel Vilingam vel Offenburgum, quod quidem ipſe voluerit erit ſalvum, ſine vlla offenſa deducturum.

VII. Omnes captiui tam Briſaci, quam

quam in Landskron detenti ſine litro reſtituantur VVimario Duci. Pollicetur ſimiliter Dux, ſe vtriuſque loci captiuos remiſſurum.

VIII. Officialibus qui res politicas ſeu Cameræ adminiſtrarunt, ſeu qui de regimine Auſtriaco ante hac fuerunt poſt bimeſtre ſpacium liberum erit alio commigrare, interim tamen non tantum acta ſcriptaue omnia fideliter reddent, ſed & ſufficientem inſtructionem ad cognitionem rerum omnium ijs quos Dux deſignauerit facient. Vnde & quibuſdam permittitur vt res ſuas vna cum reliquo milite, aliò in tutiora loca transferant.

IX. Nil eorum ſcriptorum, librorum, &c: quæ ad Rempublicam, Magiſtratum, Cancellariã, Cameram, ordinem Teloniorum, Rationes &c: ſpectant, violabunt aut quouis modo mutilabunt, quo minus adminiſtratio rerũ hactenus ſeruata, adminiſtrari poſ-

 ſit.

ſit. Conceditur tamen Generali de Reinach vt ea ſcripta ſecum exportet, quæ ab illo tempore quo ipſe fuit Gubernator, Bellicam prouiſionem, ſtructuram alioſq; ſumptus militares concernunt.

X. Omnem apparatum & inſtructum bellicum, cuiuſcunque fuerit nominis aut formæ fideliter ei quem Dux nominauerit, tradet. nec quidquam eorum infodietur, deſtruetur comminuetur.

XI. Ciuibus ſeu Incolis Briſacenſibus liberum Religionis exercitium concedetur, eorum tecta domuſque ac præcipuè templa, monaſteriaque inuiolata ac intacta abſque vlla direptione relinquentur. Quod ſi verò Religioſorum nonnulli alio commigrare ipſi vltro cogitarent, cuiuis id liberum relinquetur. Quod verò ad alios qui ciues non ſunt, ſed tantum ad tempus ſecuritatis cauſa hoſpites, maximè verò No-

rò Nobiles iſtius conditionis, ita Dux cum illis aget, vt conqueri iure nullo modo poſſint.

XII. Mobilia omnia ad domum Auſtriacam olim pertinentia, vniuerſaque alia in Briſacenſem munitionem tutelæ cauſa importata ſeu aduecta: Eaque quæ militi exituro aut ciuibus permanſuris legitimo titulo atiribui nequeunt, intacta relinquantur, ac illis qui ad id officij à Duce deſignabuntur ſine reſeruatione vllius fideliter tradantur.

XIII. Cauebit Generalis tormentorum Præfectus Baro de Reinach, & aſſecurabit obſidibus ad id poſt ſe relictis, ne quid occulte machinationis, quod munitioni Briſacenſi, Duci VVimario, vel ſuis illuc introeuntibus damno eſſe poſſit, illic relinquatur.

XIV. Denique omnia hæc abſque dolo vtrimque ſeruabuntur. Quod ſi tamen aliquis priuatus contra hæc

egiſſe conuinceretur, non ideo reliqua communitas omnis vnius perfidiam luet, ſed ſolus machinator fraudis, pro merito plectetur. In quorum omnium fidem imprimis ipſe Sereniſſimus VVimarienſium Dux Bernardus; tum Baro de Reinach, ſua manu ſubſcribent.

Quod & actum ſeptimo decimo Decembris Anno M.DC.XXXVIII.

Pactis ex vtraque parte admiſſis, ſtabilitis & ſubſcriptis, VVimario Duci innotuit, triginta ſuorum militum Briſaci in carcere durante obſidione mortuos, & octo alios à ſocijs concaptiuis ob famem & inediam in cibum eſſe mactatos & deuoratos. Vnde Dux ita excanduit, vt pacta ſimpliciter reſcindere decreuerit, concluſeritque omnes præſidiarios in egreſſu internecione delere, feciſſetque niſi omnes militiæ primores deprecati fuiſſent, quorum precibus ſecuritatem Briſacenſibus annuit.

Egreſſi

Egreſſi itaque ſunt nono decimo Decembris intra octauam & nonam matutinã quadringenti ſani milites, quinquaginta ægri cum nouendecim vexillis, ſeptuaginta equis duabus mulis, ſex Rhedis, tribus curribus, ægri ſanique ſeparatim diuerſis nauibus Argentinam verſus ſecundo Rheno deducti ſunt.

In Egreſſu Dux VVimarius Baronem de Rheinach ſub porta acriter perſtrinxit; obijciens tum Barbaram ac feram immanitatem in milites quantumuis aduerſarios in carcere exercitam: Cui excuſandæ quid reſpondere poſſit, ſe quidem planè non videre. Cui Baro de Reinach non latere ſuam Celſitudinem, ſimilem contigiſſe caſum in obſidione Auguſtana, in qua ſimiliter carnes humanæ in delitijs fuerint, ideoque ſe extra culpam eſſe ſi inopia & horrenda fames ad id delicti milites adegerit. Quod vero ipſe eos in vin-

cula compegerit, aliud prudenter se facere haud potuiſſe, cum enim captiui indies elabendi quærerent occaſionem, ac iam vidiſſent quo res Briſacenſes loco eſſent, dubio procul id ad ſuos relaturi fuiſſent: vt ergo maiora ſuis damna caueret ſe ad illud mediũ compulſum eſſe. De cibo porro ipſis ſubtracto in carcere, id quidem ſalua Ducis venia, aperte falſum eſſe, cum ipſis carnes equinæ fuerint ſubminiſtratæ tã diu donec & ſuis illæ defuerint, ideoq; ſe eos mitius tractare tunc pro temporis iniuria non potuiſſe.

Poſt Reinachium Briſacenſis Cancellarius Dominus Volmarius pullis veſtibus indutus, bacillum manu præferens ad Ducem acceſſit, ipſique ter in genua prouolutus ſupplex factus eſt, petijtque ſibi ignoſci neſcio quæ verba temere & imprudenter in Ducem egeſta. Cui Dux. Se quidem ſufficientem habere cauſam, acrius in ipſum animad-

animaduertendi, ſed ſe modo ignoſcere, videret porro ipſe vt impoſterum cautius de Principibus loqueretur. Colonellum quoque Eſcher alioſq; nonnullos perhumaniter eſt allocutus, conſtantiam & fortitudinem eorum in tanta rerum omnium penuria vehementer laudans.

Tormenta maiora bellica quæ in vrbe relicta ſunt centum viginti quinque fuerunt, præter ea ex quibus igniti globi emitti conſueuerunt. Quoad puluerem pyrium aliumque apparatum bellicum nullus fuit defectus, ſuffeciſſetque ad protrahendam deditionem in multos adhuc menſes. Sola panis commeatuſue penuria eam præcipitauit.

Fames porro tam incredibilis fuit, vt difficulter deſcribi queat. Certe nulla vnquam in antiquis & recentibus hiſtorijs ſæuior notata eſt. In hac obſidione vno die octo pueri perditi ſunt,

ita vt nunquam post hac sint visi, constans fama & probabilis suspicio fuit eos ad lanienam & cibum hominum raptos. Mortui triduani quadriduanique terra effossa eruti sunt, & in frustra dissecti & in epulas appositi. Milites qui ob delicta in vinculis agebant, fame compellente calcem è pariete avulsum comederunt. Sed nec fame tabescentibus parsum, quos audos ne simili malo perirent, socij concaptiui deuorarunt. Vix vltimis hebdomatibus vlla præterijt nox, quin decem in publicis vicis fame extincti reperirentur. Vendebatur modius siliginis quadraginta omnino florenis; Hordei, quatuordecim; avenæ, duodecim imperialibus. Modius pisorum stabat nouem florenis, modius farris mistus tribus furfurum modijs emptus est centum viginti florenis. Vini mensura vnica & panis trium librarum aureo annulo cum Margaritta preciosa

quam

quam Adamantem vocitant. Quis hæc credat? Sed maiora afferro. Butyri libra quatuor florenis æstimabatur, lardi duobus & medio florenis; salis, floreno vno; casei, sesqui floreno; pomum non admodum grande, dimidio floreno; cucurbita, septem florenis. Libra vna equinæ carnis medio floreno; quarta pars canis, septem florenis; Glires singuli, singulis florenis; vitulinæ exuviæ singulæ quinque florenis non minus emptæ sunt. Sed quid his tam tristibus immoror? ad alia progrediamur.

Obtenta victoria, & accepta in deditionem vrbe postquam magnifice tam Brisaci quam in Gallijs triumphatum est, omnis cogitatio & labor in id incubuit, vt sufficienti commeatu hic locus muniretur, multaque mox millia curruum frumento onustorum in vrbem illata sunt, ita vt in multos annos commeatus sufficeret.

Impenſę in hanc obſidionem collocatæ ad vndecies centena millia imperialium æſtimantur. Milites vero qui vtrimque quadrimeſtri hac obſidione ceciderunt octoginta millia exceſſiſſe dicuntur. Hæc de Briſaco ad alia alibi geſta tranſeamus.

Sub viceſimum ſecundum Decembris Imperatrix felici partu filium Principem enixa eſt, quem appellari voluit Maximilianum Thomam.

Noſtri interim milites qui in Weſtphalia & circum circa morabantur, miſerum in modum pagos & oppida quæ ſub ditione hoſtium erant depopulati ſunt; Quoad ſecundo tandem Februarij die Anni M. DC. XXXIX. ad hyberna ſunt evocati. Generalis Louthersheim ad Vechtam hybernauit, Generalis Bredavv montenſem Patriam obtinuit. Generalis Hatzfeldt Tremoniam, Hammonam, aliaſque circum ciuitates ſibi retinuit. Alij in a-

lios

lios comitatus deducti ſunt. Dragones noſtri vna cum Colonello Rambſtorff, Colonello Winsheim, Colonello Sparr in Wetterauiam amandati, ad quorum comitatum accedere iuſſus eſt Princeps Palatinus Robertus nuper in prælio captus cum alijs ibidem concaptiuis, qui huc vſque à clade nuper à noſtris acceptà in Monaſterienſi Epiſcopatu egerat, nec aliud quidquam ipſi ad recreationem deerat quam plena libertas, ei enim ſubmittebantur idenridem à Principe Carolo Ludouico Fratre ipſius pecuniæ largiſſimæ; acceperatque non ita pridem Minda mille quingentos Ducatus, ſicut & Hagâ comitis veſtes mire precioſas, Rhedamque imprimis elegantem in vſum Itineris ad Imperatorem quo abducendus erat à nonnullis noſtrorum turmis. Colonellus interim noſter Deueroux cum reliquis ſuis turmis Fridbergenſem ciuitatem in hyberna
ſua

ſua ſortitus eſt, quo vt cum milite ſuo venit portis excluſus eſt, vnde in pagis deſolatis omnique prorſus ope deſtitutis agere ad tempus compulſus eſt. Quam quidem iniuriam cum multi militum vlciſci armis vellent, aliorum ſaniori conſilio retenti ſunt, hi conſultius fore putabant ſi totum negotium ad Generalem Hatzfeldium dirimendum perſcriberetur. Cum vero ipſe à nobis abeſſet longius, Cronbergam interea, donec ad noſtras iuſtiſſimas querelas eſſet reſponſum, migrare conſtituimus. Erat Cronberga tunc varijs ante cladibus afflicta, & ſecum ipſa inteſtinis odijs diſſidebat. Iſthic cum decem cohortibus ipſum triduum habitauimus: miſerum erat videre copioſum militem in tantillis ſpacijs concludi. Nec aliud ſperari poterat, ni mature proſpiceretur, quam grauis ex fœtore lues. accedebat quod annonâ deficiebat ante, quam prompta videretur,

retur, adeo vt ipſe Colonellus Deueroux (cum media ciuibus ſuppetere haud amplius poſſe videret) ſuis ſumptibus à Francófurtenſi ciuitate, ſumma inedia cogente centum ſiliginis maltra coëmere deberet, miſſo vero ad id homine nauo & ſagace qui aueheret, ciuitas ſe frumenta ex vrbe dimittere poſſe negauit. Ægrè tulit, ſuas pecunias remitti, Colonellus noſter, ſatiſque verbis ſigniſque quam ſibi iſte procedendi modus diſpliceret, oſtendit. Vnde miles occaſionem ſumpſit iſtam Francófurtenſium inclementiam quoque modo vlciſcendi, quæ ſe non multo poſt admodum commoda obtulit. Agebatur Francofurtum verſus porcorum grex centum quinquaginta ſuibus conſtans, in quem noſter miles incidens omnem ſtrauit atque depaſtus eſt. Vrſellà interim Domino Colonello noſtro manſuetiores, pro precio frumenta ſubminiſtrauere,

vt

vt gregarius ſaltem tunc miles in campis ſtationem figere potuerit. Miſeri autem Cronbergenſes officiarios omnes cum equis & famulatu intra mœnia habebant, & alere compellebantur ſola Fridbergenſium peruicaciâ, qui nos contra Cæſaris expreſſa decreta à ſe excluſerant.

Hic ergo dum ſtatur in varia loca excurſum eſt, neſcio an famis magis quam temporis fallendi cauſa. Inuiſimus quoque Kônigſteinianam arcem vicino quidem ſed edito colle ædificatam, ſitu & munitione contra quoſuis hoſtium impetus ſecuram. Locumtenens Prænobilis Dominus Ioannes Chriſtophorus ex clariſſima & antiqua Bettendorfiorum proſapia oriundus nos non minus liberaliter quam humaniter accepit, omnique honoris & obſequij genere vna cum Prænobili ac honeſtimſſia matrona coniuge ſua Colonellum noſtrum eiuſque

iusque comites prosecutus est. Cum autem ipse tunc forte podagra impeditus, pedibus consistere non posset, primores præsidij sui nobis adiunxit, qui nos per arcem deducerent, ostenderentque omnem eius ambitum: In egressu quoque nostro, honoris & raræ benevolentiæ causa tormenta maiora bellica solui fecit, quod humanitatis prolixissimæ officium, Colonello Deueroux plurimum placuit.

Hinc domum reuersi intra paucos dies responsum accepimus, vt denuo Fridbergam adiremus. Quamprimum igitur Colonellus noster cum quatuor turmis illuc mouit, sed & tunc ægrè admodum admissus est, ita vt ciuitas arma hostilia in nos pararet, & ni fallor expediuisset contra nos, nisi centurio, qui forte tunc Fridbergensium arcem exili spacio vallis & aggeribus ab vrbe separatam, insidebat, eos fuisset dehortatus.

Hoc tempore nunciatum nobis eſt Generalem Salis, cum per Thuringiam commearet, incidiſſe in Bannirianos, fuſum cæſumque cum ſex legionibus eſſe, ipſum Ducem cum multis è primatibus captum, quæ res multum noſtros afflixit.

Capvt XXXIV.

Quid in Hybernis Anno M. DC. XXXIX. actum. Et de Iudaicis quibuſdam ſacris.

MEnſe Martio Magiſter Iacobus, miles ſanè non minus animoſus, quam fortis, cum ſelectis aliquot equitibus ex Ramsdorfianâ & Wintzianâ legione, rogatu Nobiliſſimi Domini per Eisfeldiam Satrapæ, contra hoſtem paſſim impunè vagantem & omnia deprædantem mouit; in quem cum

cum non procul Fuldà ex inſperato irruiſſet, centum circiter internecione deleuit, cœpit plures, equos centum quinquaginta in prædam abduxit.

Sub exitum huius menſis venit ad nos Fridbergam Tribunus quidam de legione Sarradeſchky vir ſane egregius, qui mira de inediâ quam perpeteretur miles, retulit. Inter alia aiebat, ſe oculatum teſtem certo nobis aſſerere, quod in campis equum mortuum, & ad illum duos canes ſe ſaginantes repererit, ſuperueniſſe autem & ex militibus ſuis pluſculos, qui abactis canibus auidiſſimè carnes ex morticino ſecuerint in cibum poſtea decoquendas; Quo quidem ſpectaculo adeo ſe commotum aſſeuerabat vt viginti mox equos vendiderit, vt inopiæ militum ſuccurreret.

Fridbergæ dum ſubſtitimus pluſculum, inceſſit noſtrûm aliquos libido videndi Synagogam Iudæorum, quæ

iſtic erat copioſa; ſeptimo itaque Aprilis ad eam acceſſimus, vt ſuperſtitioſas eorum cœremonias ſeu conſuetudines obſeruaremus, ſub horam matutinam ſextam, qua ipſi ſuas preces muſſare conſueuerunt. Synagoga hæc erat antiquitate æquè quam cultu deformis; in eius medio rotundum locum ſpectare erat, ſedili penſili vario intus & de foris grauem, ſuperius in modum conopæi; quod ligneæ columnæ aliquot ſuſtentabant, tectum, in eum duobus oſtiolis ſibi aduerſis patebat aditus, in eo tres quatuorue ex præcipuis Iudæorum longis togis, alioque habitu inſuper velut dalmatica veſtiti, vetus teſtamentum in chartâ Pergamenâ nitidè deſcriptum euoluebant conuoluebantque, conuolutum deinde in ſcriniolum aliquod ſeu tabernaculum potius, quod ipſi ſacrarium appellant, deportabant, accedentibus qui iuxta ſtabant & deoſculantibus

lantibus legem DEI in manibus ſacrificuli. Mox ad preces multa vocis & oris inflexione, ſublatione depreſſioneque redibant. Separatæ erant à viris mulieres loco paulum editiore, ita tamen vt commodè ceremonias omnes deſpicere poſſent, quæ ſimul neſcio quid triſte inarticulata quadam voce murmurabant.

Abſolutis precibus vt apparebat ad ſpeciem multà cum deuotione, Rabbinum hoc eſt ſacrificulum ipſorum euocaui, vt ab eo curioſa quædam hinc inde occurrentia diſceremus. Hic vt nos conuenit veniam ſtatim humillimè poſtulauit quod pileum non aperiret, cauſans legem ſuam vetantem in Synagogâ detecto eſſe capite. Simulque nos in vicinum locum deducens vbi ſuos matrimonio copulare conſueuerunt, oſtendit ex proximo pariete duarum ſtellarum in lapide excisarum effigiem, contra quas

ſponſus vitro collimare debebat & confringere, de hac ceremonia cum in lege eorum nil præcipi obijceremus, peteremuſque quorſum id fieret, reſpondit Rabbinus, eam eſſe à maioribus pie introductam conſuetudinem, non à DEO præceptam legem, velleque ipſos hoc ritu monere nouos coniuges, quàm fragilis eſſet mortalis vita, cauere ſimul ne immodicis voluptatibus à DEO ſe abripi ſinerent. Notare quoque mulierum leuem inconſtantiam, quæ ad quemuis flatum omnem formam veluti vitrum induunt. Vt ergo noua nupta conſtanter cum coniuge ſuo perſeueret hoc vitri iactu moneri.

Hîc dum variè diſcurrimus, adeſt qui nobis de neſcio qua piſcinâ clanculum vellit aurem, in quam mox inquiſitum eſt. ad eamque deducti ſumus curioſi Iudaicarum ceremoniarum exploratores. Deſcendebatur in eam

eam velut profundiſſimum puteum, gradibus facile nonaginta quatuor: illic mulieres ſecundum legem Moſaicam poſt partum purificari dicebantur. Purificatio vero non eſt aliud quam totius corporis ita vt nil quidquam appareat, in aquam immerſio, fierique debet tam hyeme quam æſtate, quod ſi frigore conſtringatur piſcina ſecuri aperiendus eſt aditus. Vidimus quoque lauacrum, ad quod manus abluunt qui mortuum fortè contrectauerunt, ne immundi Synagogam accedant.

Poſtero die ad circumciſionem inuitati ſumus, ad quam ſpectandam plurimi cum ipſo noſtro Colonello adierunt. Fit ea non ſine infantis periculo hoc fere ordine.


Inprimis poſtquam acutiſſimus culter ex chalybe oleo illitus, aliaq ad obligandum vulnus pueri circumciſi ne-

cessaria in promptu sunt, affertur puer circumcidendus. Tunc accedit susceptor Iudæus seu Patrinus, & sellæ ad id destinatæ insidet, excipitque puerum genibus seu sinu; Quem Rabbinus geniculans denudat, arreptoque virili vel infantili potius membro præputium cultro resecat. Dein applicat hiantes fauces, atque ex vulnere tertiùm exsugit sanguinem, eumque in poculum argenteum, in quod etiam præputium resectum ante iniecerat, exspuit; applicat mox lineos panniculos liberaliter in oliuarum oleum immersos, curando vulneri, vociferante interim miserandum in modum puello, & congemiscentibus adstantibus Iudæis. Absoluta circumcisione offertur puer DEO, manibus sacrificuli, distribuiturque tam aduenis, quàm indigenis vinum & saccharum. Quæ tamen omnia nos reiecimus. Dicuntur sæpe numero paruuli

uuli deficere ſub crudeli hoc tormento, aliquando etiam ſub manibus Rabbini, vel non multo poſt ob doloris impatientiam emori.

DEO HONOR ET GLORIA.





Menda ex potioribus notata ſic Emenda.

IN dedicat. p. 6. dum tibi deeſt eorum in ead: muſculo l. muſæolo. Ad Lect. p. 4. paucæ l paucis. p. 10. tam mari quam. p. 11. l. poteſtate. p. 12. l. collectam. p. 17. l. latiſſimã. p. 19. l. militi. p. 23. l. diuturnam. p. 25. l. Cæſareanarum. p. 36. l. ſat. p. 37. l. diſcurrunt. p. 39. l. continua. p. 43. l. Nobiles. p. 51. huc l. lue. p. 73. multa l. nulla. p. 74. l. cataphractorum. p. 78. voits l. votis. p. 80. male l. malle. p. 96. l. lecticæ. p. 103. l. proditionis p. 105. & cum. l. at cum. ib: hoſtile l. haſtile. p. 114. lerente l. tenente. p. 116. rexit. l. erexit. p. 142. impetitu l. impetu. p. 186. ſum l. ſub. p. 196. nobi l. nobis. p. 201. inſequendam. l. inſequendum. p. 204. lin. 7. poſt inſidijs l. qui. p. 205. l. omniaque. p. 208. exuertit l. vertit. p. 220. qui quis l. quiſquis. ib: dani l. damni. p. 228. l. elegerat. p. 229. l. Capitaneo. p. 239. l. ſubleuare. p. 243. l. amiſſis. p. 277. l. vtramque. p. 278. l. fronte.

F I N I S.

